



Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

3 Nolim.

1. Gerhard de Vries  
De natura Dei et huiusmane mentis  
determinationes pneumatologicae  
1687 3 1690
2. Gerhard de Vries  
De catholicis rerum attributis  
determinationes ontologicae. 1687
3. Wilhelm von Ihoven  
De intellectu facultate ree activa  
disquisitiones pneumatologicae. 1738
4. Friedrich Adolph Lampe (1683-1729)  
Compendium theologiae naturalis  
ed. 1753
5. Johann Christoph Stockhausen (1725-1784)  
Metaphysica naturalis inter gentes sane  
rationis principiis applicatae specimen.  
1747

Theodor Mathmann

38-8

28. 11. 1989.

TM 1167

✓ Lernbuch für  
BEQUEST OF THE REV. PATRICK BRASY

OF THE

BISHOP OF NEW YORK,

1854.

TO ST. JOSEPH'S SEMINARY, BUNYADIE, N. Y.

8-88

I

I

I

# THEOLOGIAE NATURALIS INTER GENTES

SANAE RATIONIS PRINCIPIIS  
APPLICATAE

S P E C I M E N ,


A U C T O R E


IOH. CHRIST. STOCKHAVSEN,

PHILOS. DOCT.



MARBVRGI,  
EX OFFICINA MULLERIANA.  
AN. MDCCXXXXVII.





## PRAEFAMEN.

L. S.

Permagnis omnino extat libellorum  
numeris, quibus facile sine jactura  
carere potuisset orbis eruditus. Exhibit  
enim aut levioris ingenii vestigia, aut alio-  
rum meditationes cum arrogantia qua-  
dam parum moderata recocetas, ita, ut ex  
decem libris s& penumero exsurgat undeci-  
num. Utrumque satis luculenter prodit  
pruritum scribendi & locum inter auto-  
res eruditos obtinendi. Meum non est,  
ut catalogum eorum suppeditem, cum par-  
tim limites prologi istum non ferrent, mea  
partim de qua cogitandi ratio id prohi-  
beat. Malo enim mea curare, quam  
αλλοτριεπισκοπος esse. Eum tantum in  
finem hæc præmittere libuit, ut tale hac  
de commentatione judicium nisi penitus  
removere, tamen impedire possem. Aequo  
Lectorum judicio ac candido specimen hæc

)

sub-

PRAEFAMEN.

submitto, illique magis confido, quam meo.  
Effrenis scribendi libido non mihi suavit  
publicam cum Lectore communicationem  
hujus quidquid est opellæ. Veritatem  
enim ut profitear, Ill. BILFINGERVS,  
cujus Scriptis mirifice delector, materiae  
ansam & occasionem mihi præbuit in dissert.  
solidissima, de Cultu Dei Rationali Tub.  
1731 hab. ubi ipse aliquando suadet, ut  
quis vestigia rationis in sacris gentilium  
conspicienda daret. Hoc tanti Viri con-  
silio excitatus, vires meas hac in re peri-  
clitari studebam.

Autores, quos ad manus habere con-  
tigit, ubique sedulo consului; est enim  
tractatio historici potissimum argumentio.  
Fontes autem, ex quibus haurire mihi li-  
cuit, semper iudicavi, ita ut, quæ mea  
non sunt, autoribus suis salva maneat.  
Dogmata ubique sunt intertexta & cum  
historicis rebus illa conciliare studui. Sic  
specimine exarato, copiam istius feci qui-  
busdam Viris magni nominis, quorum ju-  
dicio non simulato multum tribuo. Luce  
publica non indignum judicabant, & ex-  
inde jam in lucem prodit hæc Theologia  
naturalis effatis ac factis gentilium illu-  
strata.

PRAEFAMEN.

*Strata. Falcem in alienam messem non intruli. Semper enim maxime invisi mihi fuerunt alienorum scriniorum effractores, Sycophantæ, illique sola barba ac supercilie philosophi. Chartis autem jam prelo submissis, PFANNERI Systema Theologiae gentilis purioris ad notitiam meam pervenit. Librum frustra quæsivi, ideo determinare non possum, quæ sit convenientia commentationis meæ cum isto. Hoc mihi ex recensione ejusdem non ignotum est, istum role ac prolixitate urge superare meum libellum. Quodsi occiderit, istum plenius aut melius hoc de argomento egisse; gaudeo. Sic enim defensus forsan commentationis meæ optime supplere possunt Lectores huic materie avidius inhærentes. Invenient tamen & hisce in paginis ea, quæ in aliis non extant.*

*Nihil est ex omni parte beatum. Non silentio prætereunda sunt I. OWENI, viri acutissimi, Theologumena, quibus gentilium placita de Religione sæpe intermiscentur. Sed cum ista neque in suo nexu sint prolata, neque determinata satis opera nostra hoc respectu non dici poterit*

X 2 super-

PRAEFAMEN.

supervacaneus. Lector præterea attentat,  
me specimen tantum dedisse de Theologia  
gentilium puriori; quodsi non displicerit,  
scripta gravioris argumenti succedentia.  
Interim vale, mihique fave.



§. I. Quum



### §. I.

**Q**uum Theologiæ natu-  
ralis notitia plenior  
multum sane expe-  
diat ad aestimanda Re-  
velationis merita : le-  
ctorum attentione  
non indignum plane iudicavi, The-  
ologiam naturalem, qualis inter  
Gentes fuit, uberiori exponere me-  
ditationi. Haud quidem deficiunt  
hac in re scriptores, qui eiusdem  
in Historia Philos. meminerint.  
Alios ut taceam, qui Theologiæ  
Naturalis Compendia multa con-  
scriperunt, sed ductu rationis  
per revelationem excitatae. Ho-  
rum numerum commentatione no-  
stra non augemus, cum de Gen-

Ratio  
Institu-  
tio.

tilium Theologia Naturali hīc nobis sermo sit. Priorum vero vestigiis ita insisteremus, ut apparet, quid ex paganorum religione sana ratio & quidem sibi reliqua vindicare sibi possit. Superstitionis prolem s. falsos de Deo et cultu eiusdem conceptus omittemus, vestigia tantum rationis indicaturi, ut iuste & æquius de ista religione statuere discant illi, qui vel diabolicam istam appellare non dubitarunt. Fortassis quoque ea non minus digna est occupatio, atque illa quorundam fuit, qua fuita revelationis præsumta alii collegerunt.

## §. II.

Ratio excitata, et sibi reliqua. Placet hic distinctio illa, inter rationem excitatam & sibi relizetam. Extra enim dubitationis aleam positum est, rationem clarius, fusius & accuratius philosophari posse de Deo, rebusque divinis, perspecta revelatione. Hæc nempe rationem quasi excitat res divinas, quantum per vires rationis

n's licet, plenius per vestigandi.  
Veritates quidem istas in se s. ob-  
iective ex ratione deduci posse so-  
la, concedimus; Sed an etiam  
subjective, et quidem nulla reve-  
latione divinitus accedente, ideo  
dubitamus, quod per exempla  
philosophorum paganorum alias  
acutissimorum contraria probari  
non potest sententia.

Dum Theologiæ naturalis  
Gentilium, quatenus sanæ rationis  
principiis fuit accommodata, spe-  
cimen trademus: rationis mere  
sibi relictæ h̄ic conspicientur dicta-  
mina, eamque ob causam omni-  
no subinde deprehendentur ma-  
xime imperfecta, dum superiori  
destituta lumine multos admisit  
errores, eosque subinde non le-  
ves. Quod quidem non tam mi-  
ratu dignum est, quippe nobis  
sit persuasum, paganos philoso-  
phos dogmata nulla Judæorum  
fundamentalia assumisse, nec in  
istis quid profecisse. vid. b. HEL-  
NEC. *Histor. philos.* §. 15, & pas-  
sim.

*sim, nec non LOECSCHERI disp.  
de Trinitate Platonica.*

§. III.

Ordo  
tracta-  
tionis

Ut ordinem, qui est anima methodi, hac in tractione certum teneamus; duabus quidem sectionibus Theologiæ Naturalis Gentilium ejusdemque rationalis conspectum dabimus. Jam cum dogmata vel sint *theoretica*, vel *prædicta*, i. e. vel in contemplatione versantur, vel in ipso cultu divino: priori sectione dogmata Paganorum de Existentia, Essentia, Attributis, operibusque Dei dabisimus in Compendio. Altera vero rationem exhibebit Cultus divini ejusdemque et interni et externi, vulgaris et arcani. Subjungemus denique huic tractationi fata istius Theologiæ inter Gentes.

Sectio

## Sectio I.

## Theoretica

## Dogmata

Theologiz Naturalis Gentilium  
Saniora exponens.

## §. IV.

**P**er Theologiam Naturalem Gentilium eam hoc loco intelligimus doctrinam, quam circa dogmata de Deo rebusque divinis ejusdemque cultum, secundum regulæ rationis principia profitebantur gentiles.

## §. V.

Omnis quidem de Deo Cultus que Divino Gentilium sententias hic operose transcribere, instituti nostri jam prohibet ratio. Adeant potius hujus rei cupidi Scriptores illos, qui Historiam philosophicam omnium fere gentium, in eaque dogmata religionis earundem pluribus exhibuerunt. Nobis, uti jam ex defin. (§. 4.) patet, hic id, quod est in gentilium sacris rationabile, sufficiet indicasse.

A 4

§. VI.

## §. VI.

Deus,  
quid  
sit?

Antequam de Deo aliquid disseri potest: prius definitio de Deo ex mente paganorum erit petenda.  
 CICERO I. *Tusc.* ita: *Deus non potest intelligi alio modo, nisi mens quædam libera, segregata a materia, omnia sentiens & movens.* Hic non solum simplicitas Dei claris assertur verbis, sed etiam dum omnia sentire & movere, scilicet conservare atque gubernare dicitur, tanquam ens consideratur perfectissimum, quæ definitio scilicet descriptio quoniam characteres entis absolute necessarii essentials exhibet, recentiorum definitioni congruit.

SCHOL. Agnoscebant pagani, rem admodum difficultem esse, naturam atque essentiam Dei plenius indagare. SIMONIDES aliquando a Tyranno HIERO interrogatus quid Deus esset? tandem repetitis creibius questionibus respondit: *res mihi videtur tanto obscurior, quanto*

to diutius eam considero. conf.  
WITTICHI disp. de Natura Dei.

## §. VII.

Existentiā Dei s. entis cu-  
jusdam perfectissimi ex lumine ra-  
tionis omnes semper perspexerunt  
gentes. Hujus rei CICERO I. de  
Legib. testis esto: *Animal, inquit,*  
*nullum est, præter hominem quod ha-*  
*beat notitiam aliquam Dei.* At in-  
ter homines gens nulla est tam fera,  
quæ non sciat Deum esse habendum,  
,, etiamsi ignoret, qualem esse ha-  
bendum deceat,, et de Nat. n. 43.  
Quoniam vero in re omni consensio  
firma gentium omnium, est vox na-  
turæ, & argumentum veritatis, con-  
fitendum est Numen aliquod divi-  
num esse. Consentunt Scriptores  
Historiæ Philosophicæ, qua omnes  
gentes existentiā summi Numi-  
nis cuiusdam credidisse, variis er-  
roribus licet sibi repræsentasse, le-  
guntur.

In recentioribus quibusdam  
Itinerariis legimus, dari gentes,

A 5                    quæ

quæ directe, Deum non esse, affirmarent. Quam vero sententiam postea partim ipsi revocarunt auctores, alii partim refutarunt.

### §. VIII.

Ex cognitio-  
ne hu-  
jus uni-  
versi co-  
gnosci-  
tur.

Ex operibus sc. suis agnoscit potest Deus. CICERO II. de Di-  
vin. Puleritudo mundi, ordo re-  
rum cœlestium, convercio Solis,  
lunæ siderumque omninim, indicant  
satis adspectu ipso, ea omnia non  
esse fortuita; & cogunt nos confite-  
ri, naturam aliquam esse præstan-  
tissimam æternamque, quæ sit admi-  
randa humano generi.

Sic sc. argumentabantur, &  
recte quidem, a motu ad moto-  
rem, a creaturis ad creatorem.  
Hunc argumentandi modum in-  
tentioni Dei esse conformem, D.  
PAVLVS indicat Rom. I 19. 20. ubi  
Deus gentilibus existentiam suam  
manifestasse dicitur, tali modo,  
quem indicavimus. τὰ γὰρ ἀρχαὶ  
ταῦτα ἀπὸ πτίσεως κόσμος τοῖς ποιημα-  
σταῖς

εἰ νοέμενα παθεῖται, ἥτε αἰδίος ἀντε  
δύναμις καὶ θεότης. V. 20.

## §. IX.

Sunt, qui hanc cognitionem (§. præc.) de existentia Dei, ad ideas, ut dicunt innatas proprie tales referunt. Sed cum plane non dentur ideae innatae, quam propositionem alio forsan tempore uberiorius demonstrabimus, corruit quoque istorum sententia. Nec τὸ φανερὸν εἴνι EN αὐτοῖς Cap. cit. V. 20. hujus rei argumentum esse potest. Indicat hæc enim expressio, dari manifestationem in animis ipsorum de existentia Dei. Modum hujus manifestationis subsequentibus statim explicat Apostolus, ubi ex cognitione mundi ad ejusdem conditorem argumentari posse, asserit. Talis autem argumentandi modus procul dubio requirit usum rationis exercitatum, qui cum non statim in prima ad sit infantia, licet facultas semper et dispositio adsit ratiocinandi, hanc cogni-

An co-  
gnitio  
de exi-  
stentia  
Dei per-  
tineat  
ad ideas  
innatas?

cognitionem pro idea innata proprie tali venditare non auderemus. Urgent quidem dissentientes <sup>to</sup>  
EN *autem*; sed locutio Paulina hic  
Ebraismum sapit. cf. Ef. XXII. 14.

Sin sub ista idea innata subintelligatur facultas animæ prpositiōnē perceptā: *Deus existit*, assensum præbendi, tunc non obstamus. Hac vero ratione idea innata striete sic dicta exulat. Unde quid sentiendum sit de Historia mirabili, sed audacissimis repleta fictionibus, *Hai Ebn Yockdahni*, quem *Abu Jaafar Ebn Tophail*, Arabs, Philosophum Ἀντιδίδακτον sūsistit, simul pater. Istum enim principia Physices, Mathemetatum, immo, quod miraberis, Religionis ex solo rationis lumine absque ullo confortio humano, sed in deserto cum feris & bestiis a prima infantia degentem hausisse, refert. Ex Arabico idiomate libellus haud ita pridem in germanicam fuit translatus, cuius interpres operæ pretium duxit, rem in se

se mirandam cum lectorum admirationibus communicandi. Cum fide historica magis convenient exempla, quæ narrat Auctor anonymus der Wunder der Natur  
*P. II. Disc. I.*

TVLPIVS in *Observ. Medic.*  
lib. IV. cap. 4. BERN. CONNOR  
in *Evang. Medic.* lib. IV. cap 10.  
p. 133. Nec omittendum est exemplum simile recentius juvenis prope Hameliam anno 1724. capti & humana destituti voce, quem descripsit KOENIG in *Schediasmate de hominum inter feras educatorum statu naturali solitario*. Quæ omnia satis luculenter probant, hominem inter feras educatum facultatem quidem habere aliquam ad ratiocinandum, ideas & ratiocinia ipsa cessare.

### §. X.

Rectæ rationis ductu novimus, Deum esse Spiritum. Egregie CICERO I. Tusc. Quid interest, inquit, inter naturam, Dei et nostram? pars melior nostri est

Deus  
est ens  
simplex  
& Spi-  
ritus.

anti-

*animus, in illo pars nulla extra animum, totus est ratio. Effugit oculos, visendus est cogitatione.*

### §. XI.

Deus  
est æter-  
nus.

Deum esse æternum, pag-  
norum effatis illustrabimus. Ita  
CICERO I. de Nat. D. Quomodo  
possimus intelligere Deum, nisi sem-  
piternum? Natura, quæ dedit no-  
bis notionem Dei, insculpsit quoque  
in mentibus, ut credamus illum  
æternum et beatum. THALES quo-  
que interrogatus, quid esset De-  
us? Quod, inquit, caret initio et fi-  
ne, referente DIOG. LAERT. in  
THAL. Jam, cum id, quod caret  
initio ac fine, dici soleat æternum:  
patet, Deum ex Gentilium conce-  
ptu esse æternum.

### §. XII.

Deus est  
omni-  
scius.

Deus quoque summo atque per-  
fectissimo gaudet intellectu. Cum  
THALES interrogaretur, an facta  
hominum fallerent Deum? Illum  
ne cogitata quidem fallunt, in-  
quit.

quit. VALER. lib. VII. cap. 2.  
SEXTVS PHYTHAGO R. dixit simili sententia: *Agens injuste nequam  
quam latebis Deum, & ne cogitans  
quidem.* Hoc cum sit perfectissimi intellectus specimen: patet; Deum esse omniscium s. summum habere intellectum.

### §. XIII.

Ubi est intellectus, ibi semper quoque est voluntas. Jam in Deo concesserunt gentiles intellectum (12. §.), E. concedere debuerunt voluntatem. Vbi est intellectus perfectissimus, ibi est voluntas perfectissima; atque in Deo est intellectus perfectissimus. (§. cit.) E. in Deo quoque est voluntas perfectissima. Quod in sequentibus ex ipsis Gentilium effatis illustrabitur magis.

in Deo  
est vo-  
luntas  
perfe-  
ctissima.

### §. XIV.

Deum esse omnipotentem, s. Deus est facultate gaudere omnia possibilia ad actum & existentiam deducendi,

omni-  
potens,

qua-

quæcunque vult, præter alios CICERO l. 3. de nat. agnovit. Nihil est, inquit, quod Deus non possit efficere, & quidem sine labore ullo. Etenim ut membra hominum moventur mente ipsa ac voluntate, sine contentione ulla: sic omnia possunt fieri, moveri, mutari, nomine Deorum.

### §. XV.

Decreta  
Dei sunt  
optima,

Datur decretum divinum, s. determinatio voluntatis divinae, ut contingens existat. CICERO NEM hac de re audire placet, qui l. 2 de Leg. §. 15. ita: *Hoc sit persuasum hominibus omnibus, omnium ea, quæ gerantur, geri numine ac judicio Deorum.* Deus autem decernere nequit nisi optimum. Cum enim decretum sit voluntatis determinatio: Deus libere decernit. Libertate sua ex æque possibilibus id elgit, quod optimum esse novit, dum perfectissima gaudet voluntate (§. 13.). cf. clariss. N. G. SCHROEDERI disp. de Lib-

bertate Dei anno 1743. Marburgi  
habita. Ita etiam VALERIVS,  
Historicus ille moralis, lib. VII.  
cap. 2. *Definat tandem stulta illis  
inhiare rebus, quæ illi multorum  
malorum causa sœpe sunt, seque to-  
tam permittat arbitrio Dei, quia  
qui iribuere bona solet, etiam eligere  
optissima (optima) potest.* Et IV-  
VENAL. Sat. X. V. 349.

*Pro jucundis aptissima quæque  
dabunt Dii &c.*

Magnum sane ad fiduciam in Deo  
collocandam excitamentum!

### §. XVI.

Quia Deus omnia uno actu Dens est  
distinctissime cognoscit, in iisque omnibus  
quæ effecit, vim suam præfens.  
exercet; ideo Omnipræfens esse  
dicitur (p. Th. nat.).

Hocce Dei attributum distincte  
agnovit SENECA, qui de isto  
*Epist. LXXXIII.* ita loquitur: *Quid  
prodest aliquid esse absconditum ho-  
minibus? nihil clausum est Deo:  
interest animis nostris, et interve-*

B

nit

nit cogitationibus mediis, imo non  
quam discedit. Nec deficiunt si-  
milia rationis dictamina in pag-  
norum scriptis. DEMOCR. in  
sentent. ἡν πιστεύη τις, θεὸν ἐπισκο-  
πεύειν πάντα, εἴτε λάθρη εἴτε φανε-  
ρῶς ἀμαρτήσεται, i. e. qui crediderit,  
Deum inspicere cuncta, non pecca-  
bit neque clanculum, neque aperte,  
ubi hæc omnipræsentia Dei simu-  
tanquam motivum adstruitur ad  
bene agendum. Eleganter quo-  
que hanc in rem EPICTET.  
apud ARRIAN. l. 14. ὡς δὲ ὅταν  
ιλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον  
ποιήσῃτε, μεμνηθε μηδέποτε λέγειν,  
ὅτι μόνοι ἐστε ψόδε ἐστε, ἀλλ' οὐ θεός  
ἔνδος ἐστι. Quamobrem, clavis ja-  
nuis ac valvis, quum in tenebris  
consederetis, nolite dicere, vos so-  
los esse. Non enim estis. Non cer-  
te estis, sed Deus intus est.

## §. XVII.

Immen-  
sitas  
Dei.

De Immensitate Dei h̄ic quo-  
que pauca nobis sunt dicenda, vi-  
cujus essentia divina nullo loco ac  
nullo

nullo plane  $\pi\delta$  s. spatio circumscribi potest ac definiri: conf. HEBENSTREIT in *Philos. prima* p. 969. nec non SCHEIBLERVM in *Metaphysicorum lib. I. cap. 3.* legatur quoque hanc in rem BVDEVS in *Philos. Theor.* p. VI. cap. IV. §. 5. SENECA de *Benef.* cap. 8. hæc habet: *Quocunque flexeris te, habebis ibi Deum occurrentem tibi; nihil vacat ab illo, ipse implet opus suum.*

Non vero Deus occupat loca & spatia, sicut simplicia, quæ divinitati originem debent. Horum enim potentia & intellectus modo limitato agit & cognoscit, adeoque quibusdam tantum est præsens. Quod hic obiter monendum.

### §. XVIII.

*Summa bonitas est, qua enti tantum perfectionis confertur, quantum illius convenit essentiæ.* Summa bonitas quæ?  
cel. WINCKL *Inst. Philos. P. I.*  
*cap. XII §. 508.*

### B 2

### §. XIX.

## §. XIX.

in Deo  
conspic-  
cuæ.

Deus singula, quæ efficit, summa complectitur benignitate, quia tantum cuilibet enti existenti tribuit perfectionis, quantum ejus admittunt limites (per Th. nat.) Egregie veritatem hanc illustrat CICERO *Orat. pro Rosc. Am.* §. 131. *Commoda, quibus utimur, lux qua fruimur, spiritus quem ducimus, dantur nobis & imper- tiuntur a Deo.* Et SENECA lib. IV. de Benef. cap. 3. *Dii fundunt munera sine intermissione diebus ac noctibus.* *Beneficia illorum, nunc offeruntur utro, nunc dantur orantibus.* *Quis est, qui non senserit munificentiam Deorum?* Nemo est exper- pers beneficiorum cœlestium: nemo est, ad quem non aliquid manaverit ex fonte illo benignissimo.

## §. XX.

Deus  
est sa-  
pientif-  
simus.

Deus quoque summa pollet sapientia. Is enim, a quo omnis spirituum finitorum sapientia de- pendet, dubio procul sapientissi- mus erit. Audiamus hujus rei testi-

testimonium ex ore SENECAE 4.

*Benef. cap. 6. Semina artium omnium insita sunt nobis, & Deus magister ex occulto acuit & excitat ingenia. conf. ejusd. Ep. XLI.*

Addi potest CICER. effatum lib.

*2. de nat. §. 79. Si mens, virtus, fides, concordia inest in genere humano; unde hæc potuerunt defluere in terras, nisi a Superis.*

**THEOGNIDES** in *Sentent.* §. 142.

*Θεοὶ δὲ πατὰ σφέτερον πάντα τελέσ-  
σι νόον.*

*Dii vero secundum suam omnia perficiunt mentem. Quod est sapientiæ opus.*

### §. XXI.

Exinde summa colligi potest Deus est Dei justitia. Cum enim & be- justissi- nignissimus sit & sapientissimus mus. (§. 19. 20.) ; justitia autem sit bonitas sapientiæ congrua: Deum esse justissimum, patet; teste SENECA Ep. XL1. *Nemo Vir be- mus s. justus est sine Deo.* Ideo- que Deus ipse justissimus esse de-

bet. PLATO in *Theat.* Homo,  
inquit, efficitur similis Deo pru-  
dentia, justitia, sanctitate.

## §. XXII.

Deus est  
lux, &  
lucem  
incusat.

Lumen supramundanum cre-  
debatur Chaldaeis ac Persis, refe-  
rente STANLEIO. Daniel quidem  
Cap. II. 22. dicit, lucem cum Deo  
habitare; sed videtur hoc meta-  
phorice intelligendum, quia agi-  
tur eo in loco de cognitione Dei;  
verum proprie loquutum credide-  
rit quis Paulum ex opinione Chal-  
daicæ simili, i. Tim. VI. 16. ubi  
Deus illi dicitur φῶς ὄμēν εἰπρόσι-  
τον, inaccessam lucem incolere, nec  
ab ullo mortali conspici posse. Ideo  
*Chaldaeis* quoque Deus dicitur *lux*,  
quod præter EVSEBII testimo-  
nium constat Oraculis ZOROA-  
STRIS, ubi passim describitur vo-  
cibus φῶς, lux, αὐγὴ radii,  
Φεγγός, splendor. Eodem sensu  
I eum vocabant *ignem*, nam cum  
τὸν chaldaice significet lucem &  
ignem;

ignem, promiscue horum duorum vocabulorum significata sumebant.

### §. XXIII.

Supereft, ut de *unitate Dei* Deus est unus.  
quædam adjiciamus. Lubentes quidem hic fatemur, Gentiles omnes quod ad hancce Dei affectionem varios admisiffè errores. Multos enim sibi fingeabant deos, uti ex Mythologicis constat, licet non æqualem ipsis præstarent cultum. Non omnimode excusari possunt eorum hac in re placita, multa tamen æquius interpretari posse, probabile est. Conspicitur omnino apud omnes fere gentes ingens deorum turba; sed quæso removeas illos, qui existentiam suam Poetarum debent ingenio: tunc ad parvum certe redigentur numerum.

### §. XXIV.

Ex ipsis paganorum dictis & scriptis haud fit improbabile, plurimas gentes principium quod-

B 4      dam

dam summum & unicum statuisse,  
a quo reliqua dependeant. Au-  
diamus hac in re CHALDAEOS, quos  
*Porphyrius ap. Euseb. Praep. l. IX.*  
c. 10. ob singularem de Deo sci-  
entiam, ita laudat:

Μόνος Χαλδαιὸς σοφίαν λαχον, ἥδι  
αἴρεται Εβραιοι  
Αυτογενέθλον αἱτησα σεβαζόμενοι  
Θεὸν αἰγνῶσ.

i. e.

Chaldæis solis sapientia cessit,  
Hebræisque  
Aeternum casto veneratis nu-  
men honore.

Eorum sapientia cum sit anti-  
quissima, teste cel. BRUCKERO  
in *Hist. Philos. Crit. T. I. cap. 2.*  
placita eorum de unitate Dei ante  
omnia considerare lubet. Ita au-  
tem PLETHO in *Orac. p. 90.*  
edit. Amstel. 1688. Prima classis  
Naturarum est æterna, secundum  
Zoroastrem, & supremum conti-  
net Numen. Hoc est unicum il-  
lud principium, de quo scriptor  
*Explanationis brevis dogmatum*  
Chal-

Chaldaicorum: μίαν αρχήν τῶν πάντων δοκιμάζει &c. unicum arbitrantur rerum omnium principium, idque profitentur *unum esse & bonum.*

Ita dependentiam reliquarum omnium naturarum statuebant a Deo unico, statuebant res ævternas & incorporeas initium quidem habentes, sed fine carituras; corporeas autem perituras aliquando. conf. STANL. *Hist. Philosoph.* cap. 2. 3.

Hæc Chaldaicorum meditationes, rectæ rationis dictaminibus esse conformes, quivis Philosophiæ tiro facile perspiciet.

### §. XXV.

GRAECI a STANL. saltem item.  
ii, de quibus Eusebius Præp. Ev. que  
l. IV. c. 5. loquitur, existimam- Græco-  
tur Zoroastrem sequuti; laudat rum.  
enim τὴν ἐλληνικὴν Θεολογίαν ἐυηγρι-  
βωκότας. At hæc non fuit vul-  
garis Græcorum Theologia, ne-  
que adeo Poetarum, sed aliquot  
tantum philosophorum, nempe

B 5 Pytha-

Pythagoreorum & Platonicorum, qui eam ex Oriente in Græciam attulisse censebantur. Iste eidem Chaldæorum sententiae addicti fuerunt. Ita Græcis atque Romanis *Zeus* s. Jupiter unicus ille erat Deus, a quo reliqui dependebant Dii.

*Zeus* ὑψηλεμέτης, ὁς ὑπέρτατος δώματα valer.

Jupiter altitonans, qui supremas domos incolit. *Hesiod.* Op. & D. v. 8.

Dici quoque *Pater hominumque, Deorumque, & absolute Pater,* solet. Græcis Poetis saepius etiam audit *Zeus* ὑψιστος. *Diespiter,* quasi diei s. lucis pater. Jupiter E. cum pater sit hominum Deorumque: sub isto sibi finxisse videntur principium omnium rerum independens.

Ipsi pagani prudentiores suorum hominum insaniam in polytheismo conspicuam saepius exagitarunt. Non plura *Luciani* aliorumque veterum philosophorum testi-

testimonia hic adcumulare opus est. Unum adscribere juvabit locum SOPHOCLIS, quem nobis servarunt *Iust. Martyr. Parænes.* ad Græc. p. 17. *Euseb. Præpar. Evang. p. 348* &c alii.

Ἐν ταῖς ἀληθείαισιν, εἰς ἐσὶν Θεός,  
Οὐδὲ φραγὸν τὸ ἔτευχε, καὶ γαῖαν μα-  
κρὰν,

Πόντῳ δὲ χαροπὸν σύδιμα κανεμῶν  
Βίας.

Θυητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαν πλανά-  
μενοι,

Ίδρυσάμεθα πυμάτων παραψυχας  
Θεῶν αγάλματ' ἐκ λίθων ἡ καλ-  
κέων

Ἡ κρυστοτέικτων, ἡ ἐλεφαντίνων τύ-  
πος.

Θυσίας τε τέτοις, καὶ καλας πα-  
νηγύρεας  
Τεύχουτες, ὅτας ἐντεβεῖν νομίζο-  
μεν.

i. e.

*Vnum profecto Numen, unus est  
Deus,*

*Qui condidit cœlum, & solum  
terræ patens,*

*Maris-*

*Marisque fluctus, vimque ventorum gravem.*

*Plerique nostrum mente sed capti,  
Deum*

*Simulaera nobis, ceu mali Solatium,  
Cum saxe a atque acerna consecra-*

*vimus,*

*Tum & aureas eburneasque ima-*

*gines.*

*Has victimis placamus: His festos  
dies*

*Agimus: pios hoc esse nos rati modo.*

Idem hisce exprobrat suis So-  
phocles, quod iisdem postea ex-  
probavit D. Paulus Rom. I. 21.

22. 23.

### §. XXVI.

Sol alias unicus Deus a Macro-  
bio & Græcis creditus est, qui  
modo sub variis nominibus cole-  
retur. Sed primo observandum,  
meram esse conjecturam, quæ ni-  
titur inanibus ratiocinationibus,  
non Historia. Deinde hoc Græcis  
Philosophis, qui unitatem summi  
Numinis credebant, usitatum fuit,  
ut fabulas torquerent in suam sen-  
ten-

tentiam; ne vulgus offenderent,  
quod traditionem aperte rejici  
vix passum esset. Tandem  
cum Christiani rerum potiren  
tur, Ethnici Philosophi, cum  
non possent argumentis Christia  
norum contra fabulas respondere,  
omnes ad physicas nescio quas  
nugas torserunt; & Macrobius,  
inter ceteros, solem esse vnicum,  
qui sub variis nominibus cultus  
fuerit, Deum, ostendere aggres  
sus est. CLERIC. *Ind. ad Histor.*  
*Philos. Or.*

### §. XXVII.

Supra jam monuimus (§. 24.) Natu  
& ab Orientalibus & a Græcis na  
turas in diversa partitas esse gene  
ra. EVSEB. *Præp. Ev.* I. IV. C.  
5. de Græcis ita: *Qui Græcorum,*  
inquit, *Theologiam accuratius ex  
penderunt* (eos sine dubio intelli  
gens, qui Zoroastrem sequeban  
tur) *rem totam in quatuor genera  
partiti sunt, quippe ante omnia  
Deum primum fecernentes, omni  
bus*

bus eum rebus præsidere, ante omnes esse, omniumque Deum parentem ac regem sese agnoscere profitentur, secundum quem alterum Deorum genus, tertium Dæmonum, quartum denique Heroum assignant; vel secundum alios, *Angelorum, Dæmonum, & Animorum.* Chaldaeorum uti & Persarum hæc erat inter Deos distinctio (§. cit.). vid. T. BVRNET in *Archæologia Philosoph.* qui eandem de reliquis etiam gentibus, quarum sapientiæ aliquid constat, prædicat.

PLETHO & alter ille, qui compendio doctrinam Chaldaicam tradidit, has naturas hoc ordine collocant: *intelligibiles & intellectuales; intellectuales fontes; Hyperarchii vel principia; Azoni Dii, Zonei Dii, Angeli, dæmones, Animi.* Ajebant Chaldæi, hafce omnes naturas *lucem esse, Dæmonas malos tenebras.* Huc spectat locus HESIODI in O. & D. v. 120. sqq.

Tos

Τοι μεν δαιμόνες ἔισι Δίος μεγάλων δια  
βελᾶς,

Ἐθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες Θυητῶν  
ἀνθρώπων

Οἱ ρέ Φυλάσσοντες τε δίκας καὶ χέτλια  
ἔργα,

Ἡέρει ἐσσάμενοι, πάντη φοιτῶντες  
ἐπ' αἰαν δὲ.

*Li quidem demones facti sunt,  
Jovis magni consilio,*

*Boni, in terris versantes, custodes  
mortaliū hominū;*

*Qui quidem observant & justa  
& prava opera,*

*Caligine involuti, passim oberran-  
tes per terram &c.*

### §. XXVIII.

Quod ad Romanos, G. H. Roma.  
NIEVPOORT in Comp. *Antiqu.* norum  
*Rom.* Sect. IV. cap. I. ubi Sacra opinio  
tradit Romanorum, ita: *Primus* de uni-  
tate Dei.  
*est JUPITER omnium Deorum ma-*  
*ximus, Deorum atque hominum*  
*pater: & Jovis quidem nomine*  
*communiter summa divinitas signi-*  
*ficata fuisse videtur, ut in Oriente*  
τῷ

τῷ BEL, s. BAAL. JUPITER  
 a PAVLO vocatur verus Deus se-  
 cundum Stanlejum, eo quod di-  
 xerit Apostolus, Athenis se eum  
 Deum nunciare, cuius ARATVS  
 scripserat humanum genus esse  
 prosapiam, & quem Διός vocarat.  
 Sed observandum vocis Jupiter  
 non esse simplicem significationem,  
 sed ex duabus mistam. Poetæ  
 enim de eo nunc loquuntur, ut  
 de Saturni & Rhei filio, homine  
 in Deos relato; nunc ut de præ-  
 stantiore multo Natura: & passim  
 hæc miscent. Aratus autem voce  
 Διὸς initio Φαινομένων intelligit non  
 Cretensem illum Jovem, sed ἡγ-  
 μιζηγὸν coelo & stellis priorem.  
 Itaque Paulus cum dicit se eum  
 Deum nunciare, de quo loquutus  
 esset Aratus, Jovem hominem non  
 intelligit, sed æternum Numen,  
 cui interdum Cretensis viri nomen  
 καταχειστικῶς tribueretur. Inter-  
 rim hæc obiter. conf. quæ IOAN.  
 CLERICVS ad Stanlejum in In-  
 dice hanc in rem adnotavit.

§. XXIX,

## §. XXIX.

Sed quæri a nobis omnino pos-  
set, cur naturarum genera tam  
diversa Deorum nomine salutassent  
pagani ? responcionem , amice  
Le<sup>c</sup>t<sup>r</sup>or, hanc cape: Dii sc. appel-  
labantur ob præstantissimam eo-  
rum naturam a Deo summo con-  
cessam, uti ex antecedentibus satis  
apparet luculenter; & tanto cla-  
rior quis putabatur Deus, quanto  
maioris erat ordinis. Ex ipsis enim  
paganorum effatis jam ante mo-  
nuimus, ab unico isto principio  
omnium rerum dependere reliqua  
entia præstantissima; Sc. Angelos  
& bonos & malos s. dæmones &  
animas denique hominum, quo-  
rum maximum tenebant gradum  
Heroes. Vna sc. Classis natura-  
rum s. spirituum altera præstan-  
tior est, unde Deo summo vel ma-  
gis vel minus similis credebatur.

6. XXX.

Apud Hebraeos ipsos quoque Nomen,  
nomen אלֹהִים præter Deum sum- Deus,  
C mum etiam a-  
liis enti-

bus, præ-  
ter infi-  
nitum,  
tribui-  
tur.

mum spiritibus quibusdam finitis  
subinde tribui solet. JOH. IAC.  
SCHVDT, Philogogus sui temporis  
incomparabilis, in *Lexic. philolog.*  
ad vocem אלהּ sequentia notat:  
radicis אלהּ amissa significatio ex  
Arab. lingua restituenda, ubi אלהּ  
notat, coluit, adoravit, ut אלהּ  
notet σεβασμα, objectum cultus,  
colendum & venerandum, & pro-  
pterea Angelis etiam, Magistrati-  
bus & idolis tribuitur, quibus ho-  
mines honorem & cultum exhib-  
ent. Hanc derivationem nec mi-  
nus probant Philologi eruditissimi,  
GLASSIVS, OPITIVS, HOTTINGERVIS,  
CALOVIVS, & alii.

### §. XXXI.

Polythe-  
ismi or-  
tus.

Ex iudiciis veterum male in-  
terpretatis a posteris, polytheis-  
mus gentilium ortus esse videtur;  
quod probabilius erit, si ad Chal-  
daeorum Fontes paulo reflectamus.  
Fontes sc. apud Chaldaeos Naturæ  
divinæ dicuntur, aut quæ sunt ex-  
emplaria νοερὰ καὶ νοητὰ quarundam  
infe-

inferiorum Naturarum. Probabile est eos, qui primi hæc inuenierunt, voluisse tantum significare, in Deo esse ideas abstractas, ut loquuntur, omnium generum, quæ procreavit; sed ita mentem suam expressisse, quasi eas ideas seorsim esse crederent, unde posteri decepti, tot Numinum esse dixerunt ordines, quot illi ideas inesse intellexerant. Conferri merentur, quæ STANLEIVS habet in *Histor. Philos.* p. XIII. Sect. II. C. V.

### §. XXXII.

Polytheismus omnino maximam redoler ignorantiam, quæ etiam mater ejusdem fuit, ipso LUCIANI testimonio. conf. celeb. GOTTSCHED in *ELEM. Philos.* P. I. §. 1113. & vossius de origine & progressu idolatriæ. Sapientes paganorum philosophos plura entia summa ac perfectissima credidisse & probabilitati & eorundem effatis ante allatis contrarium est.

Quomo<sup>d</sup> expli<sup>c</sup>andus,  
apud sa<sup>n</sup>iores  
non ob<sup>t</sup>inebat.

PYTHAGORAM unicum tantum admisisse Deum, probatur; vid. HEINEC. *Histor. Philos.* p. m. 91. & SOCRATEM, Græciæ quondam Oraculum, de professa Dei unitate vita privatum fuisse, narrat XENOPH. in *Memorabil.* Socr. LACTANTIVS quoque lib I. Institut. cap. 1. eandem fovet æquam de gentilibus sententiam. Nec, secundum CUTHWORT in *true intellectual system of the universe*; qui liber adhuc nuper ex versione & animadversionibus S. R. MOSHEMII prodit, improbabile est: Gentiles sub variis istis Diis, quorum Statuæ ponebantur, varia sibi repræsentasse Summi atque unici Dei attributa; quo & spectare possunt Aegyptiorum figuræ Hieroglyph. Posteriori vero fabulosum philosophandi genus sequuti & a Majorum vestigiis deflectentes, crassissimos incurribant errores, varios admiserunt ritus idololatricos, quibus intermixta fuerunt rectæ rationis dictamina.

§. XXXIII.

## §. XXXIII.

Si STANLEIVM & alios audi-  
mus; Chaldæi credehant etiam  
Trinitatem quandam divinam, quæ?  
cujus in Zoroastris oraculis & pa-  
sim fit mentio. Ex hac triade na-  
turarum ipsis prima dicebatur *Pa-*  
*ter*, cui profunditatem tribuebant,  
secunda vero ex prima enata, *po-*  
*tentia* s. Δημιουργὸν. tertia *Mens*  
*erat*, quæ a Platonicis vocatur,  
ψυχὴ & ψυχὴ Κοσμός. Ab ista  
Chaldæorum triade naturarum pro-  
cul dubio quoque profecta est Tri-  
nitas Platonica, quia Plato eorum  
familiaritate diu est usus, multa-  
que eorum dogmata retinuit.  
Hanc vero trinitatem diversissi-  
mam esse ab illa, ad cuius notiti-  
am sola nos ducere potest divina  
revelatio, eleganter docuit LOE-  
SCHERVS in dissert. de Trinitate Pla-  
tonica.

Trinitas  
Chaldæ-  
orum  
quæ?

## §. XXXIV.

Generatim hic monendum esse quid de  
censemus: in Oraculis, quæ ZORO

Oracu-  
lis, quæ

C 3

ASTRI Zoro-

stri ad-  
scribun-  
tur, sen-  
tien-  
dum?

ASTRI cuidam adscribuntur, mul-  
ta inveniri & rationi & revelatio-  
ni congrua. Plures unquam ex-  
titisse hujus nominis viros, poste-  
ri diligentiores animadverterunt,  
quod omnia uni non convenienter.  
Oracula vero, quæ Chaldæorum  
Zoroastri adscribuntur, an sint sup-  
posita seu seniori exarata manu,  
an re vera ipsum habeant autho-  
rem, jam nimis esset prolixum,  
investigare.

*Historici certant & adhuc sub  
judice lis est.*

Sufficit scire nobis; oracula il-  
la vera & genuina Chaldæorum  
exhibere dogmata, uti TH. HYDE  
docuit in *Historia religionis Persa-  
rum & vita Zoroastris.*

### §. XXXV.

Vanitas  
græco-  
rum de  
Orienta-  
lium  
opinio-  
nibus lo-  
quenti-  
um.

Græci Babyloniorum s. Chal-  
dæorum dogmata non recte intel-  
ligentes, multos ipsis imputarunt  
errores. Nunc Martem, Stellam,  
nunc mundum & aërem colere  
ipsos dixerunt. Hanc vanitatem  
græco-

Græcorum de Orientalium opinio-  
nibus loquentium bene notavit Jo.  
CLERICVS in animadversionibus ad  
Stanl. Quidquid enim posterio-  
res Græcis noti dicebant, ideo  
non fuit veterum Babyloniorum  
opinio, aut loquendi ratio.

## §. XXXVI.

Explicatis ita essentia, existen-  
tia & attributis divinis ex paga-  
norum mente saniorum, progre-  
dimur ad opera Dei, quibus sese Chaldaea.  
naturaliter manifestavit. Quorum orum de  
primo loco nominandum erit opus creatio-  
creationis. Existentiam sc. hujus ne mun-  
vniversi a Deo dependere, omnes fere agnoverunt gentilium sapien-  
tes. Mundus quidem, si PHILONI di sen-  
credimus, a Chaldais est cultus. tentia.  
Verba ejus hæc sunt: Χαλδαικὴ  
μελεωρολογία αἰνεῖδιδασκεν ἢ Θεῷ ἔργον,  
εἰλλας Θεὸν τὸν Κόσμον ἔιναι. Sed ni-  
hil tale est in Chaldaica Theologia,  
& calumniam sane redolet, nisi forte Philo Platonicam sententiam  
cum Chaldaica confuderit. Imo

ne Plato quidem negavit mundum esse opus Dei, licet Deum crediderit propter animum eum in habitantem, bene monente STANLEIO in Histor. Philos.

### §. XXXVII.

Vberius  
explica-  
tur.

Si ad Chaldæorum placita de mundo attendere lubet: videmus, ab unico & summo isto Deo secundum eorum sententiam omnia & sic quoque mundum emanasse. Mundum distinguebant in *Empyreum*, *Metheoreum* & *Materialem*. Primo totum continetur universum tanquam in loco suo; alter complectebatur stellas fixas atque planetas; tertius denique aërem, aquam & terram; referente STANLEIO l. c. Et quia Chaldæorum Sapientia nonsolum fuit antiquissima, sed & ad reliquas transit gentes (§. 26.), inde factum est, ut reliquæ gentes orientales eidem subscriberent sententiae.

### §. XXXVIII.

## §. XXXVIII.

Thracum de mundo philosophia, cuius auctor dicitur ORPHEVS, eoredit: Vniversum ex æthere ortum esse. Stellas fixas ex æthere aut igne compactas esse, earum quamlibet esse mundum in æthere suspensum, terram nostram ex Chao ortam, eiusque formam ovo similem esse, & quæ alia sunt eiusdem tenoris. conf. Obs. Hall. Zom. VI. Obs. XXIX. de Phil. Orph.

Thra-  
cum de  
ista opi-  
nio.

## §. XXXIX.

Maioribus nostris una cum Gallis in Historia Philosophiæ conceditur locus. Multa de mundi ac terræ magnitudine, de rerum natura, de mundi huius παλιγγενεσίᾳ, magnis periodis per aquam & ignem disputasse Druidas, scriptores referunt fide digni.

Gallo-  
rum.

## §. XL.

In Philosophia Græcanica non deficiunt, qui dependentiam mun-

Græco-  
rum.

C 5 di

di a Deo docuerunt. Sufficiat unicum adduxisse PYTHAGORAM, Italicæ Sectæ conditorem. Sed quod mundum pro emanatione ex Deo habuerit, omnino negari nequit.

*HEINEC. Hist. Philos. §. 43. p. 93.*  
*Nec unquam paganus quidam mere sibi relictus persuadere sibi potuit, aliquid ex nihilo posse fieri, quia supra rationis captum pene ista posita est sententia. Ideo vel emanationem defendebant, vel ad coæternitatem configiebant materiæ ex qua Deus deinde mundum formaverit. In qua sententia præter alias Platonem fuisse, novimus. Vtrumque absurdum esse, iam demonstratu facile est.*

### §. XLI.

Roma.  
morum.

Romanorum desideras testimonia? CICERONEM audias in *lib. de nat. D.* §. 90. ita scribentem: Si quis intueatur motus perpetuos & certos, vicissitudines, ordines rerum coelestium tot tantarumque; necesse est, ut fateatur, hæc cuncta gubern-

gubernari a mente aliqua. Cum autem nec mens, nec potestas humana possit hoc efficere: Deus unus potest esse architectus & rector tanti operis ac muneris. In eo sc. omnes conveniunt gentes, etiam Indorum Gymnosophistæ, mundum a Deo dependere, sed de modo ipsis non eadem est sententia. Acutissimus T. BURNETIVS in *Archæologia Philos.* uberrime recenset paginorum de mundi ortu effata. Velim etiam legas; quæ celeb. DARIUS in dissert de mundo ejusque conceptu &c. quæ Jenæ prodidit 1741. commentatus est, in primis sect: I. ubi diversos gentium de mundo conceptus collegit.

### §. XLII.

In Operibus Dei pertractandis creationem mundi excipit gubernatio atque providentia Dei. Hanc omnes concederunt paganorum philosophi saniores ac moratiiores. Chaldæi eandem credebant, testante STANLEIO l. c. Apud Græ-

De pr.  
videntie  
ac gu-  
bernati-  
one divi-  
na huius  
univerfi  
opinio-  
nes vete-  
rum.

COS

COS SOCRATES in primis & PY-  
THAGORAS gubernationem Dei  
atque providentiam clarissimis as-  
seruerunt verbis, SENECA &  
CICERO, philosophi illi practici  
supra vulgus sapientes, eandem  
strenue defenderunt. Prior pecu-  
liarem nobis reliquit librum de pro-  
videntia. Alter lib. I. divin. §. 117.  
ita: *Mundus administratur provi-  
dentia Deorum, iidem consulunt  
rebus humanis, non solum univer-  
sis, verum etiam singulis.* Locus  
etiam hanc in rem illustris legitur  
apud eundem Aut. l. 3. de Leg, §.  
15. *Hoc sit persuasum hominibus  
omnibus, Deos esse dominos ac mo-  
deratores rerum omnium, & ea,  
quæ gerantur, geri numine ac iu-  
dicio eorum: eosdem intueri, qualis  
mente quisque sit, & habere ratio-  
nem piorum atque impiorum.* Vsum  
huius veritatis statim subiicit, ita  
pergendo: *Si mentes fuerint imbu-  
tae his opinionibus, metus supplicii  
divini revocabit multos a scelere.*

§. XLIII.

## §. XLIII.

Sed, quid si fatum opponas,  
quod plurimæ gentes intermiscu-  
erunt providentia, & a profeten-  
tibus variis innotuit nominibus?  
vid. dissert. nostr. de sapiente obli-  
gatione divina per fatum, §. 12.

Obiectio  
de Fato,  
præpri-  
mis Stoic-  
o de-  
sumta,  
atque fo-  
luta.

Omnino graviter peccarunt alto  
intellectus culmine delapsi, qui  
absolutam & æternam rerum se-  
riem, quam ne Deus quidem mu-  
tare possit, statuerunt. Haud ta-  
men improbabile est, eos, quibus  
sana mens fuit in corpore sano,  
fatum quidem admisisse, sed pro-  
videntia divina non destitutum.  
Quod si pro immutabili, æterno  
ac sapientissimo Dei decreto, ne-  
xum eventuum in mundo necessa-  
rium introducente, sumserint, ni-  
hil ibi erroris commisisse evidentur.

In primis nescio, qui factum  
sit, ut multi recentioris ætatis scri-  
ptores maxime abominandos erro-  
res, nihilque veritatis, in omni  
fere antiqua philosophia, præser-  
tim Stoicorum invenerint. Stoicis  
nempe

nempe fatum imputatur admodum  
horrendum, adeo, ut Deus ipse  
ad sempiternam illam indeclinabi-  
lemque rerum seriem pertineat.  
vid. cel. HARTMANNI Anleitung  
zur Historie der Leibnizisch-Wol-  
fischen Philosophie, p. 1048., in  
illustri Commentatione de Deo,  
mundo, homine atque fato. „ Si  
„ mihi, inquit egregie, Stoico-  
„ rum causa foret peroranda, ego  
„ ipsos ab Atheismi labe absolve-  
„ rem. Nam ex doctrinis facilior-  
„ ribus & virtutis studio diudi-  
„ canda sunt systemata, non ex  
„ obscurissimis & abstractis de fa-  
„ to tricis, quas illi imbecillitate  
„ ingenii magis, quam superciliis  
„ contra Deum sublatis, expedi-  
„ re non potuerunt. „

SENECAE philosophi Stoici  
maximi, si evoluimus scripta, ibi  
cuncta per fata regi saepius legi-  
mus; Sed providentia divina fa-  
tum tale introducens atque diri-  
gens non minus luculenter doce-  
tur.

§. XLIV.

## §. XLIV.

Rectæ rationis lumine adiuti, post multas controversias, hodie tandem certe novimus, dari <sup>Fatum rationa-</sup> <sup>bile,</sup> nexus mundi & physici & moralis universalem, a Deo mundum optimum producente determinatum, adeo, ut nexus iste necessitatem quandam involvat hypotheticam. Et forsitan quoque Stoici talem prædestinationem putarunt philosophicam (§. 43.). Quæ vulgo de EPICVRO providentiam Dei negante narrantur, multa adhuc disputari possent, si apologiam pro Epicuro iam scribere nobis esset animus. Interim conferas velim, quæ b. STOLLE in der Heyd-nischen Morale, hanc in rem bene adnotavit.

## §. XLV.

Nimiam prolixitatem incurre-  
remus, si omnia & de dæmonibus, &  
de immortalitate animæ ac re surrectione Gentilium placita hic transcribere vellemus, quæ etiam ex

Alia gentili-  
um pla-  
cita, &  
quidem

ex parte ad Theologiam possunt referri paganorum. Interim tamen pauca adiiciemus, quæ Lectorum forsan attentione digna sunt.

### §. XLVI.

1.) de  
dæmon-  
num na-  
tura, &  
obfessio-  
ne

Quæ Chaldæorum fuerit sententia de spiritibus, in Historia natura, & Philos. versatissimus docet STANL. P. XIII. Sect. II. C. 29. Spiritus mali malos invadere dicuntur ex Orientalium opinione, ut notat JAMBЛИCHIVS, quem sequitur PSELLVS in Orac. p. 120. ubi explicat hæc verba σον ἀγγείον χθονὸς ομηρού, animalia enim terræ ait esse dæmonas, vas vero temptationem corporis. Probabile est, Judæos tempore Christi simile quid credidisse, quod forsan occasionem dedit parabolæ, quæ extat Matth. XII. 43. sqq. Morbi quoque ab ipsis creari dicuntur apud Chaldæos & Persas, referente STANLEIO l. c. Spectra dæmonum apparitiones putantur. De obfessione quoque hominum a dæmonibus facta,

facta, varia sibi persuaserunt Chaldaei, de quibus STANL. consulas, l. c. cap. 16. In animalia bruta subinde impetum faciunt, non quia ea ulla odio prosequuntur, aut eis nocere volunt, sed quia ex Orientalium opinione mirum in modum animali calore capiuntur. Videntur hæc opinio nata esse ex eo, quod animadvertisse, bruta interdum inusitatis motibus agitari, & veluti spontaneo exitio perire. Constat ex Math. VIII. 31. dæmonia a Christo petuisse invadendorum porcorum veniam, eosque in lacum præcipites egisse,

### §. XLVII.

Ad statum animæ post *diabolos* 2.) de a corpore factam quod attinet, immor-  
hæc Orientalium doctrina fuit, si <sup>animæ</sup> talitate  
Platonicis credimus; nimirum, certos esse Deos qui reducant animas ex corpore. JAMBlichus sc̄t. VIII. cap. 8. præter alia hæc habet: *a primo descensu propterea admisit Deus animas, ut rursus ad*

D *ipsum*

ipsum revertantur; neque igitur mutatio aliqua fit, per eiusmodi reductionem, neque pugnant descensus & adscensus animarum. De adscensu & dæmone ψυχοπομπῷ legi etiam potest PLATO in Phædone. P. D. HETIVS in Origenianis, non Origenem modo, sed & veteres Iudæos & Christianos similia sensisse ostendit. Nihil ibi quidem videri potest rationi contrarium. Patet enim exinde & dependentia animæ a Deo, eiusdemque immortalitas. conf. parabola de Lazaro & viro divite, qua Angeli animam prioris efflatam in sinum Abrami devoluisse dicuntur. Luc. XVI. De animæ immortalitate speciatim loquitur PAVSANIAS, vir infinitæ lectionis & diligentissimus, Messeniacor. IV. p. 277. Ἐγώ δε χαλδαῖς καὶ Ινδῶν μάγοις πρωτεῖς οἶδα εἰπούσας, ὡς αἴθαντος εἴτιν αὐθρωπῶν ψυχὴν. Καὶ σφίσι καὶ Ελληνῶν ἀλλοι τέ επειδηγαν καὶ εχ ημιτα πλατῶν ὁ Αρισταγός. i. e. Ego Chaldaeos & Indorum magos primos

nos scio dixisse, immortalem esse hominum mentem. Illis autem assenserunt cum alii Græci, tum potissimum Plato, Aristonis filius. Romanorum sapientia a Græcis profecta eandem fovebat sententiam, uti Cicero, Seneca & alii multis in locis testantur, quorum effata hic omnia transcribere, commentationis nostræ vetant limites.

Memoratu dignum est, Chaldaeos animo post διαλυσιν a corpore, subtile quoddam corpus æthereum s. τειδωλον tribuisse, quo mediante distinctas conservare possit ideas, & veritates scire, quæ a sensuum cognitione proficiscuntur. STANL. l. c. cap 10. Quatenus hæc Chaldaeorum sententia cum recentiorum quorundam hypothesi conveniat, B. L. sit iudicare.

### §. XLVIII.

Resurrectionem corporis a 3) de  
Chaldais esse creditam, LAERTI<sup>resurre  
us in Progemiō ex Theopompo</sup> D 2 philip-

philippicor. VIII. docet. : ἀναβι-  
θεσται πάλιν οἵ τε Μάγοις θεοῖς αὐτοῖς πάσι,  
καὶ οἱ οὐρανοὶ αὐτοῖς, καὶ τὰ οὐρανά αὐτῶν  
ἐπικλήσεσθαι διαμενεῖν : revicturos se-  
cundum Magos homines, & futu-  
ros immortales, & omnia quæ sunt,  
suis invocationibus conservari. En-  
quædam invocationis Sanctorum  
vestigia! A Chaldæis idem sum-  
fisse videatur merito Democritus,  
qui eorum Auditor fuit, teste eo-  
dem Laërtio. A Democrito au-  
tem resurrectionem fuisse certam  
habitam appetat ex Plinio I. VII.  
cap. 55. Egregia sunt, quæ PLA-  
TO in Politico p. 175. ita dixit:  
εἰς τὸν Τετελευτηρότων αὐτὸν κειμένων δὲ εἰ  
τῇ γῇ πάλιν ἐκεῖ ἔννισαμένεις καὶ αναβι-  
θεσμένεις, ex mortuis & iacentibus  
in terra rursus ibi consurrecturos  
& revicturos. Illustris quoque  
hac de re extat locus SENECAE  
Ep. XXXVI. Mors, inquit,  
quam pertimescimus ac recusamus,  
intermittit vitam non eripit, veni-  
et iterum, qui nos in lucem repo-  
nat dies, quem multi recusarent,  
nisi

*nisi oblitos reduceret.* Dubitabis  
forsitan Amice Lector, talia ratio  
sibi relicta docere posse; suscipe  
rem huius rei probationem, nisi  
viri acutissimi quidam specimina  
docta dedissent, quorum nomi  
nasse sufficiat, quod clar. PFLV<sup>E</sup>  
cum orbe erudito communicavit,  
& alterum illud, quod celeb. J. E.  
SCHUBERT haud ita pridem ty  
pis exscribi curavit.

## §. XLIX.

Hæc sunt, quibus hac vice Conclu  
dogmata paganorum saniora de sio.  
Deo rebusque divinis in compen  
dio conspicienda dedimus. Re  
stat igitur, ut de Cultu divino  
Gentilium, quatenus rectæ ratio  
ni fuit adcommodatus, dicamus;  
quod, ut promissis fidem faciamus  
(§. 3.) sequente fieri sectione.

*Sectio II. Practica*

**Cultum Divinum sanæ rationi conformem, explicans.**

*§. L.*

Cultus Dei quis & quo-  
tuplex? **C**ultus *Dei* in genere est directio actionum liberarum ex motivis a Deo sumptis. Si motiva illa sint perfectiones divinae & actiones liberæ cum illis re vera cohaerant: tunc *verus* est *Dei* cultus. Quousque agens morale nescium eum intelligit, & appetendo attendit, eousque cultus dicitur *rationalis*. Differentiam cultus istius variam esse posse, testatur ipsa experientia. Actiones istæ, quas omittiteremus, nisi animus divinarum rerum cognitione imbutus esset, constituunt cultum *Dei immediatum*; *mediatum* conspicimus in illis actionibus, quas viri honesti non penitus negligenter, sed, etiam si fine divina cognitione forent, ex aliis fusciperent

rent motivis, ignobilioribus quidem, & plerumque debilioribus. Cultum Dei *internum* dixeris complexum actionum animæ immanentium cum perfectionibus divinis conspirantium, qui potest esse externus simul, quando hæ actions per facultatem locomotivam sese externe produnt.

## §. LI.

De Cultu Dei rationali diximus, & existimo esse vocis potestatem omnino illi conformem, quam testimonia postulant divina.

Maius est errandi periculum in Germanico, quam in Græco sermone. De Germanico sic habe: fide Concordiarum Agricolæ sunt in Versione b. Lutheri 70. loca, quibus in bonam partem dicitur ratio cum derivatis suis; in malam hæc pauca, 2. Cor. X. 5. Ephes. II. 2. Col. I. 21. II. 4. De utrisque sic iudicat ill. BILFING. dissert. de cultu Dei rationali, Zusing. 1721. hab. nullum esse ex

Cultus  
Dei rati-  
onalis a  
revelati-  
one com-  
menda-  
tus.

D 4      omni-

K

omnibus locum, qui nostram respuat significationem (§. præc.) modo memineris, ubi in malam partem accipitur ratio, vel rationcinationes potius; ibi nexus intelligi quidem, sed apparentem tantum, indicio loci Col. II. 4. ubi, *ne quis vos παρελθογίζηται, falso ratiocinando fallat, sermonis probabilitate:* quid falsa notat rationcinatione? quid probabilitas sermonis? si nexus rerum apparentem excludas. Hæc in eorum gratiam monere volui, quorum obiectiones ad naufragium usque semper eo redeunt: Scripturam Sacram omnem Cultum Dei a ratione profectum reiicere: quia vox *ratio* in Sacris litteris semper in malo sumeretur significatu,

## §. LIII.

Quod il-  
lustra-  
tur. Cul-  
tus Dei  
philoso-  
phicus  
s. natu-  
ralis, re-

Ipsam cultus rationalis vocem & potestatem sumsimus ex Rom. XII. 1. ubi alii quidem per cultum rationalem intelligunt oblationem hostiæ rationalis, in oppositione

sitione ad veteris Testamenti sa-  
crificia. Sed quis ideo Cultum

velatus,  
& mix-  
tus.

Leviticum irrationalem s. bru-  
tum dixerit, quoniam hostiæ of-  
ferebantur irrationales & brutæ.  
vid. ill. BILFING. dissert. laudat.

§. 4. A Cultu autem rationali  
probe distinguas Cultum Dei *phi-*  
*losophicum*. Si nempe ex sola ad  
me & creaturas attentione facta  
hauserim de Deo notitiam, quæ  
mihi aliquid agendum aut omit-  
tendum esse suadet, Cultus ille  
*philosophicus* est et *naturalis*. Fa-  
ctum enim potest esse revelatum,  
nexus autem actionum nostrarum  
per sanæ rationis principia patere  
potest, v. gr. Matth. XIX. 4--8.  
Accidere quoque potest, ut fa-  
ctum naturaliter constet, sed ut de  
nexu vel non cogitaverint homi-  
nes, vel eundem non perspexe-  
rint, verum ex revelatione de-  
mum intellexerint. Quale est al-  
terum Christi Matth. V. 45. Cul-  
tus illius philosophici duo igitur  
sunt momenta : *alterum*, ut illa

D 5

Dei

Dei notitia ex solo naturæ lumine  
veniat; alterum, ut & nexus eius  
cum actione nostra perspiciatur  
sola vi ingenii humani. Si utrumque  
hoc ex revelatione scias divina:  
Cultus dici *revelatus* debet:  
Si alterutrum tantum: *mixtus*  
adest.

## §. LIV.

Deus est  
cole-  
rus.

Omnibus hæc erat sententia  
paganis: *Deum esse colendum.* vid.  
**SENECA**, qui hanc in rem pro  
more suo scripsit egregie Epist.  
95. p. m. 628. nec minus **CICERO**  
I. nat. §. 4. Pietate, inquit, ad-  
versus Deum sublata, fides etiam  
& societas humani generis, & ex-  
cellentissima virtus justitia tollitur.  
Id. I. 2. de Leg. ita: Debemus co-  
lere Deos. Cultus autem Deo-  
rum optimus est, ut veneremur  
semper eos mente pura, integra,  
incorrupta.

**PHOCYLIDES** in Poëm. ad-  
monitorio §. 6.

Πρῶτα Θεοὺ τίμα - - .

*primum*

*primum Deum cole.* quale pleris-  
que Grajorum Poëtis exordium  
erat in carminibus suis adhortato-  
riis, primum officia erga Deum  
commendando.

## §. LV.

Quoniam Cultus Dei philo-  
sophicus & naturalis consistit in di-  
rectione actionum liberarum ex  
motivis a Deo sumtis & quidem  
naturaliter cognitis (§. 53.): osten-  
dere nobis incumbit, Gentiles fa-  
niores motiva bene agendi sum-  
fisse a perfectionibus Dei. Sic  
*Omnipræsentia* Dei ipsis erat mo-  
tivum bene agendi (§. 16.) *Per-*  
*fectiones divinæ* ipsis motiva præ-  
buerunt, ut actionibus bonis si-  
miles evaderent Deo (§. 21.).  
*Providentia* atque gubernatio Dei,  
ut metu suplicii divini revocen-  
tur homines a scelere (§. 42.).

Quia etiam, motiva agendi a  
perfectionibus divinis desumere,  
nihil aliud est, quam imitari Deum,  
s. similis eidem evadere: hic quo-  
rundam

Cultus  
Dei phi-  
losophi-  
cus a pa-  
ganis  
præsti-  
tus.

rundam paganorum effata audire refert. SENECA Ep. 96. ita:  
*Vis propitiare Deum? Esto bonus.*  
*Quisquis imitatus est eum, satis coluit.* Huc quoque pertinet SEXTI sentent. ille honorat Deum optime, qui facit mentem suam similem Deo, quantum potest fieri. Nec minus PLATO in Theat. Conandum est, inquit, ut efficiamur similes Deo, quantum licet homini. Quin idem Plato, philosophus suo tempore acutissimus, beatitudinem hominis ponere non dubitavit in ὅμοιωσει τῷ Θεῷ. Hæc si gentilium effata conferas cum præceptis Christi, Servatoris optimi Matth. V. 48. exinde rationalitas cultus eiusmodi a gentilibus commendati satis luculenter apparabit.

### §. LVI.

Et quidem primo nobis de internus, qui varia sub se comple-

Jam quidem cultu Dei interno, quem supra generatim indicavimus (§. 50.), agendum est, quatenus ille apud gen-

gentiles rectæ rationis principiis <sup>statur</sup>  
fuit adcommodatus. Officiá in <sup>officia.</sup>  
specie ad illum pertinentia paga-  
norum effatis illustrabimus. Offi-  
cium autem erga Deum est actio  
libera, cuius motiva sunt perfe-  
ctiones divinæ (§. 55.).

## §. LVII.

Pietatem philosophicam si spe-  
ctes, ista absque Dei agnitione I.  
distincta concipi non potest. Pri- Agni-  
mum igitur officium erga Deum  
recta,  
est agnitus ipsius. Recte EPICTET  
*Enchirid.* cap XXXVIII. Τῆς περὶ<sup>I.</sup>  
τῆς θεᾶς ἐνσεβείας ἡθι, ὅτι τὸ κυριώτα-  
τον ἔκεινό ἐσιν, ὥρθας ὑπολύψεις περὶ<sup>Ag-</sup>  
ἀυτῶν ἔχειν, ὡς ὄντων, καὶ διαιγόντων  
τὰ ὅλα καλῶς καὶ δικαίως. Religi-  
onis erga Deos immortales preci-  
puum illud esse scito: rectas de iis  
habere opiniones, ut sentias, & es-  
se eos, & bene iusteque administra-  
re universa. Huc quoque perti-  
net illud, quod scriperat de  
Gentilibus Apostolus, φανερὸν ἔντι-  
το γγωνὶ τῇ Θεῷ. De modo, quo  
Gen-

Gentiles Deum agnoscere potuerunt, & agnoverunt, iam supra diximus (§. 8.).

### §. LVIII.

II.  
Amor  
Dei.

Qui Deum agnoscit, is perfectus. Et ones quoque eius agnoscit, & quoniam istae relationem quandam habent ad hominem, ideo & illis voluptatem percipit, atque in amorem Dei fertur. Jam quia homo ad Deum agnoscendum obligatur (§. 57.), *Deum quoque amare tenetur.* De amore erga Deum multa testantur paganorum effata. SEXTI sententia haec habet: *Diligite Deum plus quam animam, si non diligis Deum, non ibis ad Deum.* Non amabis autem Deum, nisi haberis in te aliquid simile Dei. (§. 55.) conferri merentur, quæ simili modo præcipit revelatio Matth. XXII. 37. &c passim.

### §. LIX.

III.  
Timor  
Dei filii  
alii.

Qui Deum super omnia diligit, is multo magis vereatur, ne quid-

quidquam committat, quod voluntati Numinis adversum. Cura sollicita, ne alter amatus offendatur, *Timor* dicitur *filialis*; cui opponitur *Timor servilis* scilicet cura sollicita, ne alter offendatur ob pœnarum metum. Quum igitur ad amorem Dei simus obligati (§. 58.): Deum quoque timore filiali profecti tenemur. Desideras, Amice Lector, huius rei paganorum testimonia & exempla? Statim hæc in promtu sunt. CICERO 2. offic. §. II. *Pietas*, inquit, & *santitas* efficit Deum placatum.

DEMOPHIL. sent. ita: Εαν αεὶ μημονέυῃς ὅτι οπώ δ' αὐτὸν ή ψυχὴ σὺ καὶ τὸ σῶμα εργον ἀποτελεῖ, Θεος ἐφεστηκεν ἐφορος, ἐν παταῖς σχταις ἐυχαῖς καὶ πραξεσιν, αἰδεωθησῃ μεν τὰ θεωρεῖα ἀλιτου, ἔξεις δε του Θεου συγοικου. I. e. Si semper memineris, quocunque demum loco anima aut corpustuum aliquid perpetret, Deum inspectorem adesse; in cunctis quidem Orationibus actionibusque tuis vereberis inspectoris præsentiam, quem nihil

*nihil latet : Deum vero intimum  
peccoris hospitem habebis.* HORAT.  
quoque alio loco.

*Oderunt peccare boni virtutis  
amore.*

Virtus autem venit a Deo ; &  
nemo vir bonus est sine Deo, teste  
Seneca, Ep. 41. Idem SENECA  
Ep. 47. dum amorem servorum  
præ timore laudat, ita : *Non po-  
test amor cum timore misceri. Do-  
minis non parum esse debet, quod  
Deo satis est, qui colitur & ama-  
tur.* conf. quæ dixit D. Joannes  
Ep. I. cap. IV. 18. & passim.  
Senecam vero hic de timore servi-  
li loqui, extra omne est dubium.  
Aliquando ita etiam timorem fili-  
alem exprimit, dicendo : *Deo parere  
libertas est. de quo egit M. Jo. Frid.  
STOCKHAVSEN, frater meus ger-  
manus, in dissertatiuncula, utrum  
Senecæ dictum, *Deo parere liber-  
tas est*, & oraculum S. Petri, *li-  
beri, sed tanquam servi Dei*, inter-  
se conspirent? Giesæ 1739. hab.*

§. LX.

## §. LX.

Timorem Dei excipit reverentia Numinis. Qui nempe ad perfectionum divinarum magnitudinem attendit, is non potest non easdem admirari, Deum & sibi & rebus omnibus ceteris præferre. CICERO 2. de Leg. §. 71. Debemus, inquit, colere Deos. Cultus autem Deorum optimus est, ut veneremur semper eos mente pura, integra, incorrupta. Deus habet locum nullum gratiorem in terra anima pura. & SENECA. Ep. 76. Vir bonus est summae pietatis (reverentiae) erga Deos.

IV.  
Rever-  
rentia  
Numi-  
nis.

## §. LXI.

Homo in voluntate Numinis acquiescere debet, i. e. convictus esse, omnia quæ in mundo fiunt vel permittuntur a Deo in bonos dirigi fines. CICERO 2. de Leg. §. 15. Hoc sit persuasum hominibus omnibus, Deos esse dominos ac moderatores rerum omnium & ea,

V.  
Acquie-  
scentia  
in Vo-  
luntate  
Dei.

E quæ

*quæ gerantur, geri numine ac iudicio eorum &c.* JVVENAL. Sat. X. v. 347.

*Permittes ipsis expendere numinibus quid*

*Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.*

*Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt Dii,*

*Carior est illis homo, quam sibi &c.*

Velim quoque legas, quæ M. AVRELIVS in libro περὶ σωτῆρος εἰστὸν elegantissime hanc item scripsit, præprimis quidem lib. VIII. cap. 47. & l. IX. cap. 7. Cum acquiescentia ista coniuncta est fiducia animi in Deum, quæ nihil aliud est, quam lætitia de bonis certo a Deo expectandis. Idem M. AVRELIVS lib VII. cap. 41. hoc erga Deum officium pro more suo egregie illustrat. SENECA etiam huius rei testis est lib. IV. de Benef. cap. 3. 4.

§. LXII.

## §. LXII.

Is, qui Deum, cuius perfe- VI.  
 ctiones non perspicit, metuit, Super-  
*superstitiosus* vocatur. Omnis cum stitio  
 Supersticio ex timore servili & ex evita-  
 falsis de Deo conceptibus prove- da.  
 niat: ista viro probo est fugienda  
 (§. 57.). Idemque voluit THEO-  
 PHRASTVS *Charact.* p. 47. dum  
 superstitionem vocat, δειλίαν πρὸς  
 τὸ δαιμόνιον, meticulo sum erga Nū-  
 men adfectum. Per δειλίαν enim,  
 teste *Casaubono in Not.* intelligit  
 metum alium ab eo, qui pios de-  
 cet: per τὸ δαιμόνιον & deos & dæ-  
 monas, & quidquid divinitatis  
 esse particeps, male sana putavit  
 antiquitas. Rechte & eleganter b.  
 HEINECC. in *Elem. Jur. Nat.* §.  
 133. schol. Nec quis negaverit,  
 inquit, ex superstitione plurima  
 maximaque incommoda redundare  
 in rempublicam, ut non pos-  
 sis non mirari

*Quantum religio possit suadisse ma-*  
*lorum,*

Si per religionem intelligas  
 E 2 time-

timorem Dei, ab omni recta ratione sciunctum, i. e. superstitionem. Quo in primis pertinet lectu dignissimia J V V E N A L I S satyra XV. Sæpe namque contigit, quod ibi refert Poëta v. 33. sqq.

„ Inter finitimos vetus atque an-

„ tiqua simultas

„ Immortale Odium, & nun-

„ quam sanabile vulnus.

„ Ardet adhuc Ombos & Ten-

„ tyra. Summus utrimque.

„ Inde furor vulgo, quod numi-

„ na vicinorum

„ Odit uterque locus, quum so-

„ los credat habendos

„ Esse Deos, quos ipse colit.

Exinde liquet aliqua ratione, cur cultus Dei ethnicus tot superstitionibus fuerit contaminatus, quæ senioribus paganis fuerunt abominabiles. vid. VOSSI tr. de or-  
tu & progressu idololatriæ.

### S. LXIII.

VII. **Qui** firmiter persuasus est,  
Invoca- **omnia bona a Deo venire:** is non  
tio Nu- **potest non desiderare, ut Deus**  
minis in- **bene-**  
terea.

bona præsentia conservet, plura  
in posterum conferat atque mala  
noxia vel avertat, vel ad bonum  
sibi finem dirigat; atque his ab-  
solvitur *Invocatio Numinis inter-  
na.* CICERO in Orat. pro Clu-  
ent. §. 194. hanc in rem bene  
scribit: *Mentes Deorum possunt  
placari pietate & religione & pre-  
cibus iustis, non superstitione con-  
taminata, neque hostiis cæsis ad per-  
ficiendum scelus.* Et SENECA apud  
Lactant. l. 6. Deus habet locum  
nullum gratiorem anima pura.  
Non templa sunt struenda illi e  
saxis congestis in altitudinem; est  
consecrandus cuique in suo pe-  
store. conf. dictum S. S. Aet. VII.  
48. XVII. 24. 2 Cor. V. 1. Huc  
quoque pertinet exemplum, quod  
in Timol. laudat Corn. Nepos cap. 4.

VALER. l. 7. cap. 2. hæc no-  
bis de Socrate refert. *Socrates,*  
inquit, qui fuit quasi quoddam  
terrestre oraculum humanæ sapi-  
entiæ, arbitrabatur, nihil ultra  
petendum esse a diis, quam ut

E 3                  bona

bona tribuerent; cum ii soli sci-  
rent, quid unicuique esset utile.  
(§. 61.).

### §. LXIV.

<sup>2) Ex-</sup> Hæc de Cultu Dei interno. Ad  
<sup>ternus</sup>  
<sup>Dei Cul-</sup> externum quod attinet, plura  
<sup>tus, ad</sup>  
<sup>quem</sup>  
<sup>perti-</sup>  
<sup>nent</sup> omnino reperiemus hic dicenda.  
Ad istum referre solemus preces,  
hymnos aliasque ritus, quibus  
Cultus Dei internus denotatur;  
quo etiam pertinent sacrificia,  
eorumque varia species.

### §. LXV.

I.  
Preces. *Preces* sunt verba ore prolatæ,  
quibus ea exprimuntur, quæ ani-  
mo concipimus, dum Deum inter-  
ne invocamus (§. 63.). Ad istas  
hominem obligari, in omnibus  
fere paganorum scriptis, tum pro-  
saicis, tum metricis videre est.  
(§. cit.). *Preces* autem istæ abs-  
que invocatione interna esse non  
debent, quia signo convenire debet  
signatum. *PLINIUS* in *Paneg.*  
hanc in rem bene ita: *Animad-*  
*verto*

verto Deos non tam latari precibus adorantium concinnatis arte & cura, quam illorum innocentia & sanctitate: & eum esse gratior rem Diis, qui intulerit delubris eorum mentem puram & castam, quam illum, qui eum carmine meditato accesserit. conf. quæ S.S. simili modo habet Joh. IV. 24.

## §. LXVI.

Preces voluntati divinæ semper dirigi debent convenienter. Ad perfectiones animæ prius est respi-ciendum, quam ad perfectiones corporis statusque externi. SE-NECA huius rei testis esto Ep. 10. Deum roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis &c. Laudabat *Socrates* has antiqui Poetæ preces: o Jupiter, ea quæ bona sunt, nobis orantibus aut non orantibus trubue, quæ vero mala, etiam orantibus ne concede. (§. 61.). Memoratu quoque dignæ sunt preces *Persarum*, qui, referente cla-

Istaque  
volun-  
tati di-  
vina  
conve-  
nientes.

E 4 riss.

riss. BRVCKERO, preces suas in plurali Deo obtulerunt, persuasi, unumquemque felicem esse, felicitate totius populi obtenta. Hinc, Orationem Dominicam apud Christianos pari modo in plurali adornatam esse, rationi convenit. De precibus Romanorum conf. NIEVPOORT *Antiqu. Rom.* p. 197.

### §. LXVII.

**II.**  
Cantus  
& Hym.  
ni.

Paganos divinas laudes hymnis permultis extulisse, aliosque cantus adhibuisse, quibus devotionem suam externe declararent: testantur ipsorum ipsa scripta & historiæ veterum. Cantus vero ad cultum Dei externum pertinere, sana ratio probat (Ph. Mor.) Apud Chaldæos & Persas Magi carmen recitare tenebantur. Versus fuisse, in quibus Deorum continentur Genealogia, existimat CLERICVS in *Not. ad Stanl.* Licet enim non existimarent Chaldæi Deos esse humana forma præditos, attamen ab uno summo alios esse

esse prognatos censemabant, ut ex Oraculis adparet. (conf. §. 29. 30.) Et haec est vis vocis θεογονία; qua Hesiodus inscripsit poema similis argumenti. Præterea Laertius in proœmio obseruat Magos, περὶ τε σοίας θεῶν καὶ γενέσεως, sermones habuisse. Itaque credibile est eos, dum sacra facerent, recitasse carmen aliquod, quo eorum contineretur Theologia.

J. CAESAR l. VI. B. G. cap. 13. sq. refert, Druidum discipulos multos didicisse versus, qui similis forsan fuerunt argumenti. De Cantibus &c hymnis Romano rum, diligens ille Antiquitatis ob servator, NIEVPOORT l. c. plura habet.

### §. LXVIII.

De Ceremoniis Gentilium Sacris, earumque moralitate nunc pauca restant dicenda.

Scilicet ambigere posses de gestibus, an homini liceat gestus, ceremoniasque & actus externos

III.  
Ceremoniaæ  
Genti-  
lium;  
quid de  
iis senti-  
endunt?

E 5 defi-

definire, eo effectu, ut in illis consistat cultus divinus. Equidem si rationem audias, adeo illa nihil in hoc instituto mali comprehendit, ut eam rem suadeat potius, quam prohibeat. Novimus eum animi nostri esse genium, ut ad cogitandum de officiis suis excitari variis signis & possit, & subinde debeat. Signa illa si fuerint eiusmodi, ut in mentem revocent, quæ de Deo scire, credere, meditari, testari & imitari convenit; si eorum usus ea propter a nobis approbetur & frequentetur, ut hunc suum scopum attingant: cultus ille divinus est, conf. ill. BILFINGER i. dissert. supra laudat. §. 9.

## §. LXIX.

Statuas.

Sic erigere *Statuas*, quarum adspectus moneat de beneficiis Dei ac eiusdem attributis, nihil utique continet minus laudabile: quamvis affingere illis similitudinem Dei, sit rationi contrarium & scripturæ sanctiori. vid. Exod. XX. 4.

CICERO

CICERO 2. Leg. §. 26. *bene di-  
ctum est a Pythagora doctissimo vi-  
ro, pietatem & religionem maxime  
versari in animis, cum rebus divi-  
nis operam damus in templis, cer-  
nentes simulacra Deorum.* Postea  
vero rationis obliiti statuis ipsis ex-  
hibuerunt cultum adorationis.  
Orientales neque statuas, neque  
templa erexerunt, quod negarent  
Deos esse humanæ formæ, ac sub  
dio quasi aëri sacra facerent. Hinc  
quoque deductam esse censeo  
Græcorum coniecturam, Assyrios  
aërem adorationis cultu prosequu-  
tos fuisse. Eandem accusationem  
etiam erga Judæos tulerunt Græ-  
ci, a quibus nubes & coelum, si-  
mili de ratione, adorari credide-  
runt, vid. 10. SELDENVM de D.  
S. Synt. 2. cap. ult.

## §. LXX.

Idola igitur per statuas repræ-  
sentata superstitionis fuere pro-  
genies, quam saniores fugiebant  
pagani. Apud Chaldaeos in Orac.

Chal-  
dæorum  
de Ido-  
lis iudi-  
cium,

¶. 243. idola expressis dicuntur  
verbis umbræ & imagines falso-  
rum Deorum.

§. LXXI.

Cere-  
moniax  
Tem-  
plorum,  
Oracu-  
lorum,  
ludo-  
rum &c.

De Ceremoniis Templorum,  
Oraculorum, ludorumque in ho-  
norem Dei ab antiquis celebrato-  
rum quæ dicenda essent; in omni-  
bus istis facile est invenire ali-  
quid rationi congruum, sed su-  
perstitionibus depravatum. Lu-  
dos Romanorum ad eorundem sa-  
cra spectantes pluribus descripsit  
**NIEVPOORT** *Antiq. Rom.* p. 217.  
De Oraculis ludisque Græcorum  
præter alios egit clar. **BRÜNINGK**  
Comp. *Antiqu. Græc.* Ut scili-  
cer templi exstruerentur conven-  
tibus publicis & devotioni publi-  
cæ destinata, non ac si Deus mu-  
ris & parietibus includi possit,  
rationi congruum est. **CICERO**  
2. *Leg.* §. 26. Censeo delubra  
esse excitanda Diis in urbibus.  
Nec sequor Magos Persarum,  
quorum consilio Xerxes dicitur in-  
flam-

flammasse templa Græciae. Indignabantur quippe includi parietibus Deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis esset templum & domus. Græci & Romani melius sensere ac fecerunt qui, licet agnoscerent divinum numen esse ubique diffusum, tamen, ut augerent pietatem nostram in Deos, voluerunt illos incolere easdem urbes, quas nos Thales, qui fuit unus e sapientibus illis septem, dixit, oportere homines existimare, Deos omnia cernere; Deorum omnia esse plena: ut ubique tam sancte casteque agerent, quam si in fanis essent maxime religiosi. Olim quoque tanta reverentia præstabatur templis, ut in iis exscreare aumungere nefas esset, referente ARRIAN, in Epictet. l. 4. cap. II.

## §. LXXII.

De Sacrificiis apud omnes ferre gentes receptis obscurior ratio videtur

Sacrificiorum apud gentiles

origo  
potui  
esse phi-  
losophi-  
ca & ra-  
tionalis.

videtur originis. Ista rationabile  
quid præ se ferre, mea sententia  
dubitari non potest. Placent hic  
ill. BILFINGERI meditationes,  
quas dissertatione laud. habet, &  
quarum hic copiam dare, lectoribus  
meis forsitan non erit ingra-  
tum. §. IX. Vir acutissimus ita:  
„An omnino sacrificia ad cultum  
„pertineant naturalem? an tota tra-  
„ditioni debeantur? non examina-  
„bo quæstionem historice, sed phi-  
„losophice. Quæcunque sacrificio-  
„rum origo fuerit, potuit esse phi-  
„losophica & rationalis. Ut de ac-  
„ceptis e terra frugibus singulari-  
„tate testeris, te illas agnoscere  
„Dei beneficium, ideoque ante  
„usum earum aliquas Deo offeras,  
„frugum auctori: nihil nisi bonum  
„continet. Eiam de armentis of-  
„ferre Deo, & omnino ita consu-  
„mere, ut præter illam de Deo te-  
„stificationem nulli alteri usui abla-  
„ta adhibeantur, si nulla exinde  
„inopia offerenti aut aliis inferatur,  
„vel si ea alendis Dei ministris de-  
„stinente

„stinentur: utique ex ipsius sanæ  
„rationis dictamine laudatur. Ne-  
„que adeo interest, cruenta fue-  
„rint sacrificia, vel incruenta: post-  
„quam nulla homini & brutis in-  
„tercedit Juris communio. Hu-  
„mana autem sacrificia, quin ipsi ra-  
„tioni naturali detestanda habeant-  
„tur, dubitari cum aliqua veri spe-  
„cie non potest. Hactenus ergo  
& approbat sacrificia, & ipsa ori-  
ginarie hominibus persuadere illa  
ratio potuit. Neque necessum  
est pro sacrificiorum inter gentiles  
origine, revelationis furta in sub-  
sidium semper advocare. conf. quæ  
NIEVPOORT l. c. p. 199. sqq. de  
sacrificiis Romanorum habet.

### §. LXXXIII.

Omnino multa ludentibus ho-  
minum ingenii tribuenda sunt,  
quæ Gentiles in sacrificiorum va-  
riis generibus observarunt. Ori-  
ginarie quidem semper in istis re-  
perire licet aliquid rationi congru-  
um, quo & pertinent imagines  
hyero-

hyeroglyphicæ , quibus ad cultum Dei in sacrificiis usi sunt. Exemplo res illustretur ! Porcos Cereri cooperunt offerre , seu quod animal illud Cereri infestum esset, quoniam Poëtæ verbis, semina pando eruisset rostro, annique spem intercepisset; unde impedimentorum averruncationem isto præfigurarunt sacrificio: seu quod e suillo rostro arandæ subvertendæque terræ ratio primum accepta esset; ut gratiarum actionem pro nobili invento testarentur. vid. cl. HEDER. Lexic. Mythol. voc. *Ceres.* Sacrificiorum aliorum variis ritus exhibet NIEVPOORT l. c. p. 199.

### §. LXXIV.

Sacrificia expiatoria sunt superstitiōnis apud gentiles effectus. Quod ad sacrificia expiatoria s. piacularia attinet, quæ idem NIEVP. l. c. ex antiquitatis monumentis describit; lubens quidem fateor, ea superstitionis opera fuisse inter gentes, non Cultus veri aut tolerabilis portionem.

Verba

Verba hic placent ill. BILFING.  
dissert. cit. " Neque enim, in-  
" quit, ipsa de expiatione per fa-  
" crificium persuasio oriri potest,  
" nisi ex Revelatione, traditione  
" aut falsis de Deo conceptibus.  
" Ex Revelatione Judæis obtigit  
" Sacrificiorum, etiam expiato-  
" rii, modus, scopus atque usus.  
" An ceterae gentes furto aut tra-  
" ditione illa acceperint, an ex  
" falsis de Deo conceptibus ipsæ  
" exsculpserint; quod causæ me-  
" rita nihil interest. Traditio-  
" nem enim, si quæ fuit, vide-  
" mus mutilam parte sui princi-  
" pe, quæ ad typum pertinet:  
" videmus assumentis misere de-  
" formatam: videmus ad scopos  
" detortam plane contrarios. Si  
" argumentis eruta est philosophi-  
" cis illa de expiatione sententia,  
" non potest non multos de Deo  
" errores continere isthæc ratio-  
" cinationum series. Scio, in  
" originibus rerum, præcipue  
" in inveniendis ceremoniis, non

F

ex-

„ expectandos esse positos supra  
 „ omnem exceptionem Syllo-  
 „ gismos: sufficere analogias, si-  
 „ militudines, allusiones, & quid  
 „ non? dico autem, ista quæcun-  
 „ que fuerint, si expiatoria per  
 „ solum hominis ingenium sacri-  
 „ ficia producant, non posse sine  
 „ falsis de Deo conceptibus pro-  
 „ cedere. „ Haec BILFING. In-  
 terim conjectura haud improba-  
 bili credere fas est, expiatoria pa-  
 ganorum sacrificia primam traxisse  
 originem magis ex bonis ani-  
 mæ motibus, quam ex puris &  
 distinctis de Deo notionibus.  
 Quæ de agrorum, urbium &c.  
 iustificatione ejusque ritibus Roma-  
 norum narrat NIEVP. l. c. eo-  
 rum forsitan adhuc vestigia quæ-  
 dam hodienum supersunt.

### §. LXXV.

Obser-      In sacrificiis aliisque sacris exter-  
 vationes      nis perficiendis, saniores pagano-  
 quæ-      rum philosophi præcipiebant potis-  
 dam ve-      simum, puram, intemeratam &  
 terum      castam admovere mentem, ideo-  
 de sacri-      que

que credebant, Deum plus animum respicere sacrificantis, quam sacrificium ipsum; quæ sententia rationi optime congruit. SENECA Ep. 116. & lib. 1. benef. cap. 6. ita: *Deus colitur non corporibus opimis taurorum contrucidatis non auro, non argento, non stipe infusa in thesauros: Sed voluntate pia & recta. Itaque boni sunt religiosi etiam oblato farre ac farina; male contra non effugiunt impietatem, quamvis cruentaverint aras multo sanguine.* conf. dicta Script. S. Amos V. 21. Et. I. II. XLIII. 23.

Neque tam sumtuosis delectari Deum sacrificiis, quam castis & pura mente oblatis, recte dixerunt pagani. Huc spectat lex, quam CICERO l. 2. Leg. §. 19. ita perhibet: *Homines adeant caste ad Deos, adhibeant pietatem, amoveant opes;* quocum consentiunt multi alii.

### §. LXXVI.

Cultus etiam divinus inter gentes distingui potest in vulga-  
rem s. communem, & in arca-  
rem s. communem, & in arca-  
rem s. communem, & in arca-

F 2

Cultus  
Dei est  
vel vil-  
garis,  
vel arca-  
bus.

Vtriusque inter gentes ratio exponitur.

*num f. mysticum, uti STANL. & BRVCK. bene adnotarunt. Illum (vulgarem), plebs f. vulgus se quebatur; hic vero (arcanus) dogmata complectebatur sublimiora, quæ nemini fere nisi regibus & sacerdotibus nota fuerunt. Apud Græcos Orpheus primus talem cultum Deorum arcum introduxisse putatur. Apud Orientales Magi sacris intererant arcans. De Magis Chaldaeorum & Persarum quid sentiendum, eruditæ ostendit CERICVS in *Indice Philog. ad Stanl.* Istorum Magiam in cultu Deorum arcano potissimum constitisse, probat cel. BRUCKERVS. Præter hunc autem rebus medicis quoque dabant operam, & somniorum fuisse videntur conjectores.*

### §. LXXVII.

Arcanus Dei Cultus fuit præstantior vulgari. Arcanum istum Deorum cultum maxime alienum fuisse a vulgari erroribus & superstitionibus maxime contaminato, admodum proba-

probabile est. Ego saltem nunquam a me impetrare potui, ut iis assensum præbeam, qui omnem theologiam naturalem vulgi cum eruditioribus communem fuisse defendunt. Viri tanto rationis lumine pollentes, quales nobis mirandis exemplis exhibet antiquior ætas, certe crassissimos illos errores, qui & idiotas fere omnis religionis fugiunt, nunquam ~~re~~ vera crediderunt.

Populi ignorantiam istiusmodi erroribus intermixtam aptam & proficuam putabant reipublicæ, ex rationibus quidem politicis, sed male applicatis. Inde factum est, ut quivis naturæ effectus rariores, tot a vulgo crederentur miracula, nonnisi maximas animorum turbationes secum ferentia. Physices enim notitia plane latebat vulgum, cui etiam tot credo deberi superstitionis genera. vid. VOSSII tr. de *Idololatr.*

## §. LXXVIII.

Myste-  
ria Eleu-  
sinia.

Apud Græcos innotuerunt *Mysteria Eleusinia*, s. sacra opera atque occulta, quibusdam ceremoniis atque ritibus occultis celebrata Eleusine Atticæ oppido, cultus divini causa, quibus meliorem de divina natura sententiam traditam, atque præcepta ad mores corigendos, vitamque honeste agendum, docebant. Vitia maxime horrenda & luce non digna sub istis latuisse, multi nobis persuadere voluerunt operose magis, quam solide. Sed iustum eorum defensionem adhuc nuper suscepit V. C. Io. Aug. BACHIVS in dissert. peculiari, de *Mysteriis Eleusiniis*, Lipsiæ hab. 1746.

## §. LXXIX.

Virtutes  
paganor-  
um non  
fuerant  
splendi-  
da vitia.

Offert se nobis hic occasio, aliquid contra eos monendi, qui virtutes paganorum, argumento nescio quo, nonnisi splendida esse vitia, dictoria voce jaitant. Aut enim virtus philosophica nulla

la est, aut virtus inveniri potest  
in exemplis paganorum. Dantur  
sc. variis virtutis gradus, pro va-  
riis ad actiones liberas motivis.  
vid. cel. CARPOVII dissert. de  
gradatione virtutum morali, &  
ill. BILFING. *Dilucid.* §. 469.  
p. m. 597. & 598. Sicque non  
negamus, religionem Christianam ad sublimiorem compellere  
virtutem, licet virtus, quæ phi-  
losophica dicitur, ex lege fluat  
naturali. Præterea mundo cor-  
rupto satius conducere putave-  
rim, exempla ipsi virtutis ex an-  
tiquitate repetere, quæ quasi e  
specula lumen ostenduntur, qnam  
vitiorum ex vetustate fomenta  
quærere, quibus & suis fucum  
inducere possint homines vel pa-  
gana virtute inferiores. Notum  
est, mundum exemplis magis re-  
gi, quam rationibus. Omnino  
mihi adeo mirum visum, quod  
vir quidam inter doctos celeber-  
rimus, haud ita pridem, Socra-  
tem ceu hominem vitiosissimum,

F 4 famo-

famosam ejus mulierem autem tanquam feminam omni voto meliorem, contra testimonia historica eaque fide dignissima scripto quodam nuper edito, descripserit.

### §. LXXX.

Nec fabulae antiquae traditioni debent originem ex Revelatione.

Sed neque alterum illud extrellum adprobari potest, quo illi, qui ingenio ludenti nimis indulgere videntur, totam antiquarum fabularum doctrinam, quam Mythologiam vocamus, ex sacrificis repetunt litteris; & modo ex tricipiti Cerbero Trinitatis mysterium excutere cupiunt, modo ex Saturno Noachum facere audent. Notum est enim, Poëtas veteres seculum aureum sub temporibus constituisse Saturni, i. e. optimam felicissimamque ætatem. Sed temporibus Noachi, quales fuere mores hominum, ut Seculum aureum exinde deduci possit? PALEPHATVS de Incredibilibus ita plerasque interpretatur fabulas. Optima hujus libri editio est

est Thomæ Gale in opusculis *Mythologicis, Physicis & Ethicis;*  
Lond. & Amstel. 8.

### §. LXXXI.

Eiusdem farinæ censeo illo- Neque  
rum conjecturas, qui, quidquid Revela-  
boni cogitaverint pagani, illud a tionis  
Judæis didicisse putant. Accedit, probari  
Josephum & Porphyrium illud de furtæ  
*Pythagora* testari, eumque ex possunt.  
Jamblichii testimonio, in monte  
fuisse *Carmel*. Præter multa alia  
hic monere sufficit, neque Jo-  
sephum neque Porphyrium esse  
scriptores coævos. Alio tempo-  
re magis opportuno uberius pro-  
babο, philosophos gentilium ni-  
hil didicisse ab Ebræis. Nam qui  
doctrinas vere judaicas atque fun-  
damentales rejiciunt, illi a Judæis  
nihil omnino didicerunt.

## Sectio III.

qua

Fata Theologiæ Naturalis  
inter Gentes reçenset.

## §. LXXXII.

Rationes  
variae  
deprava-  
tæ Reli-  
gionis  
natura-  
lis inter  
gentes.

Scintillas rationis varias emi-  
care in Ethnicorum scriptis auc-  
factis, licet obrutæ fuerint tan-  
dem superstitionis & vitiorum  
cineribus, ex præmissis liquet.  
Hæc ipsa tamen hominum vitio,  
non ipsa religionis naturalis culpa  
evenisse, nemo non concedet.  
Cultum divinum naturalem in ori-  
ginibus rerum nihil tam abomina-  
bile habuisse, sed plurima, etiam  
quodad externum cultum, ex re-  
ctis de Deo conceptibus profluxisse  
probabile est. Ex intuitu hujus  
universi veram de Deo notitiam  
hauserunt. Verum autem vero,  
uti subinde accidere solet, &  
omnium fere gentium exemplis  
illustrari potest, posteri a genui-  
na Dei notione sensim deflecten-  
tes,

tes, hanc ignorantiam tot superstitionis agminum fæcundam matrem habuerunt, adeo, ut ingemiscas, illa ipsa, quæ rationis inter gentes supersunt, fictionibus & dolis sic oppleta esse, ut magis noceant additamenta impietas, quam prodeesse valeant oppressæ veri bonique reliquæ. Ista sc. sanæ rationis dictamina sensim tanquam nudæ traditiones absque ulteriori examine, reliquis innotuerunt, perscrutatione nexus earum veritatum penitus neglecta. Inde cœperunt homines varias adjicere de rebus divinis conjecturas falsas, a sensibus profectas, quæ mox superstitioni ejusdemque effectui, puto idolatriæ viam pandebant.

Exemplo mihi esto *Epicurus*, cuius tota philosophia ita fuit famosa & suspecta, ut Atheismus, voluptas & omnis impietatis genus in ipso si non auctorem, certe tamen quererent patronum. Sententia eorum fuit, qui omnem

paga-

paganorum philosophiam abominabilem credunt, & uti saepius id accidere solet, ex præjudicio auctoritatis, nondum penitus ex eruditorum Scholis ejus. Justam Epicuri defensionem præter *Gassendum* & alios suscepit b. G. STOLLE in der heidnischen Morale. Negari tamen non potest, sectatores Epicuri crassissimos fuisse errores, sed male intellectis ipsis Epicuri principiis. Unde brocardicum deinde enatum: *Epicuri de grege porci*, i. e. homines omnis impietatis sordibus clari. Cavendum igitur puto, ne imputetur error philosopho, qui debetur ipsis indignis sectatoribus. Exinde enim & provenisse censeo alterum illud: *nullus error potest esse tam absurdus, quem non philosophus unquam admisserit.*

### §. LXXXIII.

Fata ipsa  
Theolo-  
gia nat.  
fecun-  
dum S.  
Paulum.

Puritas itaque dogmatum de Deo rebusque divinis inter gentes non servata fuit, sed sensim sensimque

que depravata superstitione contaminata (§. 82.). Theologiæ naturalis adeo sunt fata gravissima inter gentes , quæ D. P A V L V S Rom. I. breviter recenset. Ordinem Paulinum sequuturi hæc teneas : Deus semper de se testatus est v. 19. 20. Agnoverunt illum homines v. 21. sed neglexerunt cultum ejus. Habuerunt itaque notitiam Dei, sed qua non usi sunt ut motivo actionum suarum. Inde vanitas in ratiocinationibus, i. e. sterilitas notitiæ, imbecillitas assensus, indifferencia quoad momentum, curiositas in allotriis & ipsa in errores proclivitas.

#### §. LXXXIV.

Ob ignorantiam intellectus & falsissimos de Deo conceptus: te-  
nebræ in corde quoque i. e. agen-  
di nulla ex Deo regula, stimulus  
nullus, conatus nullus v. 21. cap.  
cit. Inde vana sapientiæ præsum-  
tio , & vera stultitiæ præsentia,  
v. 22. Vera namque sapientia  
exi-

überius  
expo-  
nuntur.

existere nequit, lumine intellectus obfuscato, & emendatio voluntatis non potest consistere absque intellectus emendatione (per pr. mor.). Inde in idolatriam lapsus turpissimam v. 23. & ex illa servitus affectuum v. 24. 26. orta primum ex oblitione Dei, & defectu judicij v. 28. sed definens tandem in plenam *auto-katakrisis* v. 32. Summum illum & difficillime medicabilem stultiæ gradum.

### §. LXXXV.

& illu-  
strantur.

Omnia hæc Apostoli effata sat is luculenter Theologiæ Naturalis in hominum animis pericula ostendunt, ad declarandos illius ex divina destinatione usus, & ad prædicanda merita illius revelationis, qua etiam illa Deus de novo promulgavit, quæ naturaliter cognoscere & sequi homines & possent & deberent.

### §. LXXXVI.

## §. LXXXVI.

Quid ergo sanum porro ex-  
pectari potuisset, post tot secula  
erroribus & superstitione exaëta,  
post vanitatem in ratiocinationes  
& tenebras in corda induëtas,  
Rom. I. 21? Scilicet, nisi Deus  
opem tulisset, & ipsius Theolo-  
giae Naturalis Capita a fôrdibus  
gentilium sua revelatione purgaf-  
set: mansissent, vereor, Gentes  
sub illud judicium conclusæ, in  
quod suo veri cultus neglectu in-  
currerunt. v. 28. conf. BILFING,  
dissert. cit. §. 9.

Revela-  
tionis  
suffici-  
entia &

## §. LXXXVII.

Merita Revelationis a Deo no-  
bis concessæ magni adeo sunt mo-  
menti circa Cultum divinum. In-  
sufficientiæ naturalis Theologiæ  
suppetias tulit, eamque supple-  
vit. Ea dogmata nobiscum com-  
municavit, quæ ad salutem cogni-  
tu sunt necessaria, & uno verbo  
ut dicam, Christum tanquam  
unicum reparatæ salutis medium  
sistit,

sistit, cuius notitia supra rationis captum est posita. Sed etiam quoad Cultum Dei mixtum Revelationis merita magna sunt. Ea, quæ sana rationis ope cognosci poterant, sed superstitionibus variis contaminata, uberior, plenius & frequentius tradit, ita quidem, ut nemo unquam philosophorum ea omnia sic intellexerit, aut ad actiones, quarum motiva ex illis doctrinis sumenda, ita fortiter hortatus sit. Talia gratiæ superioris specimina reperiire licet in omnibus fidei articulis mixtis, v. c. de Creatione universi, providentia, gubernatione. cet.

### §. LXXXVIII.

etiam in  
ipsa  
Theolo-  
gia natu-  
rali.

Nec ipsæ tamen in sacris gentilium reliquiæ rationis alto sunt contemnendæ superciliosi. Jam enim post Homerum Iicias scribere facile est. Dum sc. revelatio nobis contigit, & gratia superioris hæmispherii (ut cum Theologis loquamur) accessit: philosophi

sophi nostri ratione sua excitata  
utuntur rectius, ejusdemque ope  
errores illos gentilium probe  
perspicere, veramque de Deo,  
Creatore ac Conservatore noti-  
tiam ex mundi intuitu eruere  
possunt. Sin vero nulla Revela-  
tio unquam hominibus contigis-  
set, difficile est affirmare, an in  
hodiernum usque diem ea omnia  
naturaliter pleniusque intellige-  
rent. Ratio namque excitata ra-  
tionem sibi relictam magno cursu  
post se relinquit & superat (§. 2.).

### §. LXXXIX.

Multa præterea paganis ad <sup>Impedi-</sup>  
rectius philosophandum obsta- <sup>menta</sup>  
bant impedimenta. Vitia intel- <sup>Theolo-</sup>  
lectus & præprimis voluntatis, <sup>gia</sup>  
quæ omnes debemus primo pec- <sup>naturalis</sup>  
cato, iter ad veram sapientiam <sup>apud pa-</sup>  
maxime reddebat infestum. <sup>ganos,</sup>  
Quibus accensi potest præjudi-  
cium auctoritatis rationis usui  
admodum inimicum. Nec defi-  
ciebant causæ extrinsecæ. Su-

G per-

perstitione tota plebs imbuta  
multum obstabat, quo minus  
philosophi saniores suppicia me-  
tuentes, sententias suas liberius  
dixerint. Cujus rei exemplum  
suppeditat mors *Socratis*. Sed in  
eo omnino peccabant, quod ma-  
luerint impedimenta superesse,  
quam testes evadere veritatis,  
quod plebem in ignorantia &  
infelicitate reliquerint, quod re-  
velationis effata, cuius fama per  
omnes fere peragraverat gentes,  
non diligentius & magis sollicite  
quaesiverint, quod denique prin-  
cipiis errorum in gratiam subin-  
de plebis admissorum non obsti-  
terint, quatenus in eorum fuit  
potestate. Unicus enim error  
admissus alios statim fert secum,  
quia dantur etiam nexus & sy-  
stemata errorum, uti veritatum.

## §. XC.

Epilo-  
gus.


Hæc de fatis Theologiæ na-  
turalis inter gentes ex antiqui-  
tate.

tate. Forsan nec indignus esset labor, de moderno Theologiæ naturalis statu inter gentes exhibere conspectum. Interim hac vice pedem figimus, Absit per omnem modum, ut gentilium placita de rebus divinis ex omni parte defendemeremus. Leñtores benevolos perlustrando Commendationem hancce non fugiet insufficientia ejus, quidquid rectæ rationi consentanei habuerint gentiles. Errores ex superstitione natos notavimus nec approbabimus. Offertur hisce spicilegium quoddam exiguum boni, quod in tam corrupta supererat messe. Indicavimus vestigia rationis in sacris gentilium, eumque in finem, ut appareat, omnes semper gentes in religione suam posuisse felicitatem, easque in multis excusationem illam mereri, quam sanctitate quidam affectata turgidi ipsis plane denerarunt. Attentius hanc in rem meditanti admodum sane fieri


G 2      pro-

probabile, quod Servator noster Optimus Matth. XI, 22. 24. Luc. X, 14. ceu veritatem pronuntiat: Gentilibus instare ανεκτοτερον καιρια. Multos, qui sese Christianos profitentur, duriora expectent fata. Ad quos alterum illud Christi spectat: Servus, cui perspecta est voluntas Domini, ei-que se non conformem gerens, poenas dabit duplices. Luc. XII, 47. Cui enim multa sunt credita, multa imputantur.

## T A N T V M.




ter  
uc.  
lat:  
ua.  
nos  
ent  
ud  
er-  
ei-  
ns,  
III,  
ta,



GVK 3 d.  
1018  
801913





LOGIAE  
EVRALIS  
R GENTES  
TIONIS PRINCIPIIS  
PLICATAE  
ECIMEN,  
AVCTORE  
ST. STOCKHAVSEN,  
HILOS. DOCT.



MARBVRGI,  
ICINA MULLERIANA  
N. MDCCXXXVII.